Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Amandus Polanus von Polansdorf

Amandi Polani A Polansdorf Praelectiones De Nativitate, Passione Et Morte D.N. Jesu Christi : In Inclyta Academia Basiliensi Habitae, in quibus difficile vaticinium Danielis de regno quarto, Nebucadnetzari Magno in statua per somnium repraesentato, simul bona fide explicatur

Basileae: Waldkirchius, 1605

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777767856

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Ded. Ind. 734 p.
Epist. 128 p.

51 b. 9.

3D14

F.g – 3679 (2.)

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn777767856/phys_0002
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn777767856/phys_0004
DFG

AMANDI POLANI
A' POLANSDORF

PRÆLECTIONES
DE
NATIVITATE, PASSIONE ET MORTE D.N. JESU CHRISTI

IN INCLYTA ACADEMIA BASILIENSI HABITÆ, in quibus difficile vaticinium Danielis de regno quarto, Nebucadnetzari Magno in ſtatua per ſomnium repræſentato, ſimul bona fide explicatur.

BASILEÆ,
Typis CONRADI WALDKIRCHI:

Anno clɔ Ic cV.

ILLVSTRI ET GENEROSO

DOMINO, DN. IAROSLAO SMIRZICZIO

LIBERO BARONI A' SMIRZICZ, &c.

Gratiæ & pacis DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI incrementa precatur

AMANDUS POLANUS A' POLANSDORF.

PERSVASUS sum, Illustris & Generose Domine Baro, te pro ea pietate erga DEUM, quam hactenus illi & Ecclesiæ illius probasti, ita cõsiderare perturbatum Hungariæ, Austriæ, Moraviæ & vicinarum regionum statum, ut nequaquam in his externis animo hæreas, sed illum & ad causas superiores, & ad

sanctuarium cæleste, unde certissima consolatio ad nos manat, erigas & eleves. Ac sanè si causas perturbati status superiores attendas, quas nō cum hominibus quibuslibet, sed cum Deo nos habere intelligimus, ut Hungaria, ut Austria, ut patria nostra tanta mala patiatur, suis debent homines imputare peccatis, propter quæ Jehova gladium strinxit, & interfectori in manum tradidit. Non enim ad solam gentem Judaicam, sed ad omnes populos peccatis suis indulgentes Jehova in hunc modum per Ezechielem Prophetam capite vigesimo primo loquitur: *Gladius, gladius exacutus, atque etiam extersus est: Ut mactet mactandos exacutus est, ut sit ei coruscatio extersus est. Aut gauderemus, virgâ Filii mei spernente omne lignum? Nam tradidit illum extergendum, capiendum manu: ipse exacutus est vastationi, idemq; extersus, quem tradat in manum interfectoris.* Quæ verba docent, tum quæ instrumenta sint judiciorum divinorū quibus

bus peccata hominum puniuntur, tum quæ cauſæ efficientes, principalis & adminiſtra: tum denique quod ſubjectum. Inſtrumenta innumera ſunt Jehovæ quibus judicia ſua exſequatur, quum & elementa ipſi ſerviant, terra motu horribili & ſterilitate, aqua inundatione inſolitâ, qualem hoc menſe Auguſto ex magnis imbribus aucto Danubio Vienna in Auſtria vidit, aër peſtilenti contagione. Serviunt Jehovæ & cętera inanima omnia, in quorum numero gladius eſt hoſtilis, quo & acinaces Turcici & tormẽta bellica ſclopetaq; & cætera qualiacunque tela noxia & ignes oppida & pagos conſumentes intelliguntur. Gladius hoſtilis ad mactãdos mactationi deſtinatos certiſſimè eſt comparatus: ad hunc finem exacutus eſt quò celerius ac lethaliùs feriat, deterſa ferrugine politus eſt quò tum ad penetrandum vulnerandumque ſit aptior & ad terrorem fulgore incutiendum terribilior. Cauſa autem

princeps quæ judicia divina primariò exsequitur Filius est DEI, justissimus ille mundi Judex. Ipse enim est Jehova qui super Sodomam & Gomorrham, pluviam sulphuris & ignis à Jehova è cælis demisit. Ipse est Jehova qui omnia primogenita in Aegypto una nocte interemit. Ipse est qui Nebucadnetzarem in Judæam adduxit, qui in urbem Jerosolymorum conjecit ignem quo illa conflagravit. Ipse est Angelus thuribulum accipiens & illud ex igne altaris implens & in terram abjiciens. Ipse gladium tradit extergendum & manu capiendum: ipse eum tradit in manum interfectoris. Hostis verò quid aliud est, quàm judiciorum divinorũ administer? à quo animus avertendus ad CHRISTUM qui judex agnoscendus & resipiscentiâ seriâ precibusq; continuis placandus. Subjectum denique judiciorum divinorum est omne lignum, hoc est, non tantùm subditi, verùm etiã magistratus ipsi: non tantùm populus, verùm

Gen. 19. v. 24.

Exod. 12. v. 19.

Ezechiel. 10. 6.

Apoc. 8. 5.

Ezech. 21.

verùm etiam Principes & Magnates. Nam etiam potentissimi in hoc mundo quique, in peccatis sibi indulgentes, qui sibi quolibet chalybe, & adamante firmiores videntur, sunt lignũ quod virga Filii Dei spernit, quod exciditur & igni exuritur. Omnis arbor non ferens fructum bonum excidi-
tur & in ignem abjicitur. Causæ hæ Matth. 3.
perturbationum publicarum & judi- v. 10.
ciorum divinorum tum ad peccatorum nostrorum detestationem & seriam ab illis resipiscẽtiam, tum ad timendum Judicem Mundi CHRISTUM DOMINUM adducere nos debent, ut sollicitè nobis caveamus, ne illum ad iram adversum nos provocemus.

Quòd si pia mens agnoscens hæc verissima esse, ut sunt, consolationem in tantis confusionibus & ruinis politiarum requirat, eam abundè in CHRISTO reperiet. In eo enim omnes thesauri sapientiæ ac cognitionis absconditi: ipse est fons inexhau-

ſtus omnis veræ conſolationis. Ex innumeris autem argumentis conſolationis Chriſtianæ, ea tantùm paucis complecti fert animus, quæ in Prælectionibus his pluribus verbis pertractantur. Propter quos CHRISTUS de cælo deſcendit & homo factus eſt: quos ex poteſtate tenebrarũ ereptos in regnum lucis ſuę æternum tranſtulit: quos paſſione & morte ſua cum Patre ſuo cæleſti, æternam redemtionẽ nactus, reconciliavit: quos ſuper petram immobilem, quæ ipſe eſt, ędificavit; illis rerum humanarum perturbationes, illis bellorum calamitates, illis regnorum terrenorum ſubverſiones, illis bonorum corporalium deprædationes detrimentũ ſalutis æternæ afferre poſſunt nullum. Jam autem verè fideles per verbi divini præconium edocti & per Spiritus Sancti internũ teſtimonium confirmati ſic ſtatuunt; Primò propter nos & propter noſtram ſalutẽ CHRISTUS deſcendit de cælis & homo factus

ctus est: nam ipse est lapis è monte excisus sine ullis manibus. Quod ut mirabile est, ita efficacissimum ad metum omnem doloremq; animi nobis adimendum. Quale enim est quòd Deus ineffabilis, inenarrabilis, invisibilis, incõprehensibilis, cujus in manu fines terræ sunt, qui terram concutit & tremere facit, cujus lucem fulgidissimã nec Cherubini ferre possunt, sed facies expansis alis obvelant, dignatus est homo fieri & carnem mortalem sibi aptare? Mens obstupescit, quum apud se attenta consideratione perpendit, quòd is qui in forma Dei erat, non rapinam duxit, parem cum Deo esse: sed ipse sese inanivit, formâ servi acceptâ, similis hominibus factus; quòd habitu cõpertus ut homo, ipse se submisit. Non potest animus æstimando magnitudinem assequi beneficentiæ Domini nostri Jesu Christi, quòd propter nos pauper factus est, quum esset dives, ut nos illius paupertate ditesceremus. Qui

Philipp. 2. 6,7.

2. Cor. 8. v. 9.

thesaurorum nunquam periturorum participes sunt facti, illisq́; æternùm perfruentur; ii nequaquam ob bonorum caducorum jacturam animum despondebunt aut nimiâ tristitiâ sese macerabunt. Deinde, Christus non tantùm ex altissima ad nos habitatione venit, sed etiam nos ex potestate tenebrarum eripuit, è tyrannide Satanæ in libertatem asseruit, in regni sui felicitatem traduxit. Hic Rex ille est, cui Antiquus dierum dominatum & gloriam dedit, ut omnes populi, nationes & linguæ ei serviant; quem in summam extulit sublimitatem ac nomen ei quod est supra omne nomen donavit, ut in nomine ejus omne genu cælestium ac terrestrium & subterraneorum se flectat, omnisq́ue lingua profiteatur, Jesum Christum esse Dominum, ad gloriam Dei Patris. Hoc regnū illud est quod in secula non destruetur, quod in populi alieni potestatem nunquam redigetur, cujus infinita potentia est futura

tura quamvis omnia terrena regna perdantur. Talem Regem habemus, qui nos Reges & Sacerdotes Deo & Patri suo fecit: talis regni cives sumus, cujus æternitas nobis beatitudinem perpetuam confert. Rex æternus est, regnum æternum est, cives æterni sunt, beatitudo civiũ æterna est. Quocirca inter turbulentas regnorum mundanorum agitationes, quibus assiduè concutiuntur, inter graves & formidabiles motus qui innumeras clades minantur, patienter hanc vitam transigamus: & regnum assumẽtes quod concuti nõ potest, gratiam teneamus, per quam ita serviamus Deo, cum verecundia & reverentia, ut ei placeamus. Dicunt fideles de Rege suo Christo: Deus nobis est receptus & robur, auxilium in angustiis præsentissimum. Idcirco non timeremus, si commutaret terra locum, aut si montes dimoverentur in ima maria depulsi. *Adhæc* CHRISTUS idem qui non novit peccatum, pro nobis

Hebr. 12. 28. Psal. 46. 2, 3. 2. Cor. 5. 21.

peccatũ factus est, ut nos justitia Dei in eo efficeremur. A' peccato quipque planè alienus, pro nobis constitutus est peccator, non in se peccati labe pollutus ullâ, sed ex omnium nostrorum peccatorum reatu ipsi imputato, ut nos coram Deo justi constitueremur & quidem justitiâ non nobis inhærente, sed quæ quum in Christo sit, nobis à Deo imputatur.

Rom. 5. v. 1. v. 10. Justificati igitur fide pacẽ apud Deũ habemus per Dominum nostrum Jesum Christum. Si quum inimici essemus, recõciliati fuimus Deo per mortem Filii ejus, multò magis reconciliati servabimur per vitam ipsius. Proinde si bello externo petamur, interna pace quæ nobis cum Deo est nos solemur: si homines malè nobis sunt conciliati, in gratia Dei quæ sempiterna est acquiescamus. *Denique* ipse

1. Petr. 2. CHRISTUS est lapis ille vivus, ab hominibus quidem reprobatus, apud Deum verò electus ac pretiosus, statutus in Sione in imo angulo; est petra

tra illa immobilis, in qua ipse nos sibi superstruxit ac tanta firmitate aptavit, ut ne portæ quidem inferorum sint adversus nos prævalituræ. Satanas igitur furat, mundus bella moveat, opes terrenas hostis adimat, agros vastet, vitam hanc eripiat; fixum tamen firmumq; stat, potiora bona, vitamq; illam meliorē nobis nequaquam extorqueri posse.

Hæc Christianæ consolationis argumenta in prælectionibus istis copiosè explicantur, quas tibi, Illustris & Generose Domine Baro, abitū ex Academia nostra paranti, inscribere & tanquam προπεμπτικὸν tradere volui: quod ut facerem, gravissimæ causæ me moverunt. Evidentibus documentis hactenus declarasti, in animo tuo stare, omnium virtutum omniumq; rerum præclararū Pietatem in Deum esse fundamentum. Nam aliquot annorum quibus in hac urbe & Academia versatus es decursu, cùm studiorum tum vitę tuæ rationes ad

summi immortalisq; Dei gloriã retulisti. Tũ ingenii tui ad optima quæq; nati divitias in publicis privatisq; exercitiis copiosè explicasti. Voluptatẽ etiamnum mihi affert dies ille quo uberrimam rebus & sententiis de Concordia orationem in frequentissima panegyre Academica habuisti: tum & ille quo de Consilio Principis, Præside viro Clarissimo D. Casparo Dornavio studiorum tuorum vitæq; moderatore fidelissimo, ad quæsita Politica interrogantibus dextrè feliciterq; respondisti. Præterea eam tibi gloriam apud optimos rerum æstimatores cõparasti, cujus te nunquã pœnitere debebit. Deniq; ut de meo in te affectu aliquid saltem profitear, eos in animo meo amoris in te igniculos pietas & virtus tua accendit, quos nulla temporis diuturnitas exstinguet: cujus testimonium publicum hãc προσφώνησιν esse volo. Amplius quiddam, fateor, insignes tuæ dotes merebantur: sed in spem venio certam, benevolo te ani-

te animo accepturum, quod hoc tem pore potuit à mea tenuitate ꝓficiſci.

Quod reliquum eſt, hãc meorũ votorum ſummã adjungo, ut in omnibus tuis cogitationib. hęc tibi prima ſit & antiquiſſima, ut Servatorem noſtrum DOMINUM JESUM CHRISTUM, à quo uno, quæ verè bona sũt, emanant omnia, humanis rebus quæ inſtabiles caduceq́; ſunt longè omnibus anteponas: certoq́; perſuaſum habeas, familię, dignitatis, opulentię, gratiæ hominum, infirmã eſſe gloriam, niſi perpetuo erga CHRISTUM amore ſtudioq́; fulciatur.

Idẽ CHRISTUS DOMINUS cùm univerſum Chriſtianũ orbẽ, tum ſpeciatim antiquiſſimũ Bohemię regnũ & in eo te inclytamq́; familiã tuã, potẽti ſua dexterâ tueatur. Vale proſperrimè, Illuſtris Domine Baro, & me favore tuo complecti perge: Baſileæ die XXIX. menſis Auguſti, anno ultimæ Dei & ſanctorum patientiæ MDCV.

De

Adventu Regis MESSIÆ in carnem Tractatio

Instituta σὺν θεῷ, Basileæ

Anno

gratIæ & MIserICorDIæ

mense Decembri

Textus qui tractationis hujus basis & fundamentum.

Dan. 2.

v. 34. Vidisti, usquedum excisus est lapis sine manibus ullis, & percussit imaginem ad pedes ipsius ferreos & luteos; adeò ut comminueret eos.

35. Tunc comminuta sunt pariter ferrum, lutum, æs, argentum & aurum, fueruntq; ut gluma ex areis æstivis, ita abstulit ea ventus, & nullus locus inventus est

eis: lapis autem qui percusserat imaginem, effectus est mons magnus, adeò vt impleret totam terram.

44. Post [vel circa] tempora autem Regum istorum suscitabit Deus cæli regnum, quod in secula non destruetur, & regnum ipsum populo alieno non relinquetur, comminuturum & consumturum omnia illa regna, ipsum autem staturum in secula.

45. Quandoquidē vidisti è mōte exscindi lapidem sine manibus ullis, & comminuere ferrū, æs, lutum, argentum, & aurum, Deus maximus notum facit Regi id quod futurum est posthac.

QVANQVAM totâ vitâ nostrâ gaudio exsultare & benignissimū Patrem cælestem cum gratiarum actione laudare debeamus, ob missionē Regis Messiæ in carnem, semper memores Euangelij Angelici: *Ecce euangelizo vobis gaudium magnum quod erit toti populo, nimirum natum esse vobis hodie Ser-*

Lu. 2. v. 10.

uatorem

vatorem, *qui est Christus Dominus, in civitate Davidis*: & cum multitudine exercituum cælestium dicentes; *Gloria in cælis altissimis Deo, & in terra pax, in homines benevolentia*: tamen recurrente anniversaria solennitate quâ salutiferâ nativitatem Regis Messiæ universa Ecclesia Christiana per totum mûdum recolit, in primis lætitiæ nostræ spiritualis & grati in Deû animi documenta à nobis sunt exhibenda. Quapropter ut tantò ampliorem lætitiæ & laudum divinarum occasionem haberemus, in animum induxi, fretus gratiâ Spiritus Sancti, prælectiones ante ferias Natalitias instituere de vaticinio Danielis Prophetæ, quod exstat cap. secundo, v. 34. & 35, & paulò pòst v. 44. & 45. cujus germana explicatio omnib. pijs mentibus procul dubio grata erit. Quod ut commodè fiat, duo hæc capita tractabo: Luc. 2. v. 14.

PRIMUM, De fine seu scopo vaticinij illius Danielis.

SECUNDUM, De circumstantijs adventus Regis Messiæ in carnem, quas vaticinium hoc exhibet.

DE PRIMO.

Inter plurimas res quę ultimis & periculosis his temporibus nos consolari & magnanimos reddere debent & possunt, hæc quoq; una est, quòd DEUS cæli profectò nunc etiá Ecclesiæ electorum suorum, in quorum numero & nos per Christi gratiam sumus, curam gerit; quemadmodum inde ab initio sem

per gesit. Hujus curæ inter cætera exempla admodum illustre proponitur in capite secundo Danielis. Nam DEUS cæli etiam potentissimum Monarcham Nebucadnetzarē Magnum longissimè latissimeq; regnantem ita in potestate sua tenuit, ut ne cogitationes quidem ejus à providentiæ suæ divinæ gubernatione eximi passus sit. Ipse enim DEUS cæli indidit ei cogitationes sollicitas de regni sui amplissimi futuro statu. Ipse somnium ei immisit, in quo per statuam ingentem, quatuor metallis constantem, futurum ejus statum præfigurauit. Ipse effecit ut somnij oblivisceretur & recordari non posset, unde impotentiam suam cognosceret: ipse effecit ut spiritus ejus consternaretur & de cognoscendo sollicitus, magos, astrologos, præstigiatores & Chaldæos accerseret & ab illis somnium suum & interpretationem ejus sibi patefieri postularet, ut præsumtionem illorū, & deorum Gentilium quorum se illi interpretes profitebantur vanitatem, palàm traduceret. Ipsius permissu factum, ut magi, astrologi & Chaldæi passim interficerentur, quò impostur illorum punirentur. Ipsius singulari providentiâ factum, ut Daniel cum sociis ad necem quæsitus conservaretur & apud Regem Nebucadnetzarem tam severi mandati inhibitionem impetraret. Ipse Danieli somnium Nebucadnetzaris & interpretationem ejus revelavit, & per Danielem Nebucad-

bucadnetzari exposuit; ita ut hoc vaticinium non Nebucadnetzaris sit, sed Danielis cui Deus illud patefecit.

FINIS autem seu scopus vaticinij istius tũ singulariter ad Nebucadnetzarem, tum speciatim ad Danielem & socios ejus, tum generatim ad fideles omnes spectat. Quod ad Nebucadnetzarem attinet, revelatũ fuit ei hoc vaticinium ut ipse qui in sua illa magnitudine & majestate regia deus quidam sibi videbatur, primò cognosceret, DEUM cæli quem Daniel & alii pii Israëlitæ in Babyloniam abducti colebant, esse solum illum verum Deũ & Dominum Regum, cui ipse Nebucadnetzar regnum, potentiam, firmitatemq; & gloriam quam habebat, acceptam ferre deberet, & in conspectu ejus sese humilem gerere. Vnde Rex Nebucadnetzar audita commemoratione & interpretatione somnij, in faciem suã procidit & Danieli dixit: *Ex veritate est, quòd Deus vester est Deus deorum & Dominus Regum ac revelans arcana: cùm potueris revelare arcanum hoc* v. 46. & 47. Deinde ut Nebucadnetzar cognosceret brevitatem regni sui. Tertiò ut agnosceret, futurum aliud regnum præstantius & majus suo: Ac proinde animum ad humilitatem & modestiam revocaret.

Quod ad Danielem & socios ejus attinet, finis vaticinii hujus fuit, ut ne Daniel & socij ejus cum reliquis sapientibus Babyloniæ perirent v. 18. Quod deniq; fideles generatim

attinet, finis vaticinii hujus fuit, ut illi certam consolationem haberēt, illam miserabilem captivitatē Babylonicam, & deinceps futuram sub regibus Persis & Græcis, Seleucidis & Lagidis servitutē, quâ premendi erant, non perpetuò duraturam, sed destructis regnis illis, à quibus affligendi erant, venturum Regem Messiam & regnum gratiæ æternum erecturum in toto mundo, ipsosq; à peccatis liberatos & vera libertate spirituali, longissimè corporali libertati præferenda, donatos, regni illius æterni consortes facturum. Proinde regnorum illorum, quæ Nebucadnetzari in statua repræsentata fuerunt, destructio totalis signum esse debuit certissimum ex quo fideles cognoscerent, Regis Messiæ adventum in carnem jam propè esse. Nam de hoc adventu Danielem hîc loqui & non de adventu ad judicium, certum est: quod sic ostendo.

Adventus Messiæ post quem regnum in secula non destruendum in toto mundo erigi debuit, est in carnem, & non ad judicium vniversale vivorum & mortuorum.

Sed adventus de quo Propheta Daniel hîc vaticinatur, est adventus ille Messiæ post quem regnum illud in secula non destruendum in toto mundo erigi debuit. Sic enim expressè ait Daniel v. 35. *Lapis autem qui percusserat imaginem, effectus est mons magnus, adeò ut impleret totam terram.* & v. 44. *Et post dies regum istorum*

istorum suscitabit Deus cæli regnum quod in secula non destruetur, & Regnum ipsum populo alieno non relinquetur, comminuet & consumet omnia illa regna, ipsum autem stabit in secula.

Ergo adventus de quo Propheta Daniel hîc vaticinatur est in carnem & non ad judicium universale vivorum & mortuorum.

Non aliter Orthodoxi Patres Ecclesiastici interpretati sunt. JUSTINUS MARTYR Dialogo cum Tryphone Judæo pag. ducentes. tricesimo quartâ edit. Commelin. *Quid ita dubitamus & non credimus, de Parentis rerum cunctarum consilio & voluntate, hominem etiam ipsum ex virgine nasci potuisse? præsertim cùm tot Sacrarum literarum habeamus oracula, unde apertè cognoscere est, juxta consilium & voluntatem Patris id quoq; factum esse. Cùm namq; tanquam filium hominis Daniel eum dicit, qui regnum suscipit sempiternum: an non hoc subobscurè significat? Nam cùm tanquam filiũ hominis dicit, qui homo esse appareat & sit, indicat, non autem ex humano existere semine declarat: & dum lapidem hũc sine manibus abscissum dicit, in mysterio idipsum clamitat. Nam cùm dicitur, ipsum absq; manibus abscissum esse, non humani id operis, sed divini ejus qui illum produxit, universitatis hujus Parentis Dei, consilij esse* [ostenditur.]

IRENAEUS MARTYR adversus Hæreses lib. tertio, ca. vigesimo octavo probat ex Daniele Christum ex sola virgine, sine viri concubitu humanam naturâ accepisse. Verba ejus hæc sunt: *Propter hoc & Daniel prævidens ejus adven-*

tum, lapidem sine manibus abscissum advenisse in hunc mundum: hoc est enim quod sine manibus significabat, quod non operantibus humanis manibus, hoc est, virorum illorum qui solent lapides cædere, in hunc mundum ejus adventus erat, id est, non operante in eum Joseph, sed sola Maria, cooperante dispositione. Hic enim lapis à terra & ex virtute & arte constat Dei. Propter hoc autem & Esaias ait, Sic dicit Dominus: Ecce ego mitto in fundamenta Sion lapidem pretiosum electum, summum angularē, honorificum, uti non ex voluntate viri, sed ex voluntate Dei, adventum ejus qui secundùm hominem est intelligamus.

AMBROSIVS Commentarijs in epistolam ad Rom. in caput nonum sub finem: Offenderūt enim in lapidem offensionis, sicut scriptum est: Ecce pono in Sion lapidem offensionis, & petram scandali: & qui crediderit in illum, non confundetur. Hoc in Esaia habetur. Multorum relatione compertum est, in petra & lapide Christum esse significatū. Daniel enim Propheta lapidem hunc dicit qui abscissus à monte sine manibus percussit & comminuit omnia regna, & replevit omnem terram: quod evidenter de Christo dictum est. Et in Lege, petra de qua fluxerunt aquæ, Christus est appellatus. Petra autem, inquit, erat Christus. Et Petrus Apostolus inter cætera ad Judæos ait: Hic est lapis qui reprobatus est à vobis ædificantibus. Offensio ergo posita in Sion, Christus est. Sion verò altitudo est, siue civitas ipsa Hierusalem, quæ propter notitiam Dei nō immeritò excelsa dicta est, in qua Salvator à Deo Patre suo positus

tus prædicator, offensio factus est Iudæis, dum se Filium Dei prædicat, natus de Spiritu sancto ex muliere. Per corpus autem ejus scandalum passi sunt, & dicebãt: Nónne mater & frater ejus apud nos sunt? Quomodo ergo hic dicit, Quia de cælo descendi? Nolebant enim verba gestis comparare, vt perinde agnoscerent, non absurdum esse quod dicebat de cælo se descendisse, quasi corpus operaretur & non Deus latẽs, operibus tamen se prodens in corpore. Petra ergo hæc est scandalum Iudæis & offensio, quæ petra sine dubio corpus intelligitur Salvatoris. Hæc excisa sine manibus propterea, quia sine viro de Spiritu sancto facta de Virgine est.

HIERONYMVS tomo quinto, Commentarijs in caput secundum Danielis: *Abscissus est lapis, Dominus atque Saluator sine manibus, id est, absq; coitu & humano semine de vtero virginali.*

AUGUSTINUS tomo sexto oratione contra Judæos, Paganos & Arianos, capite duodecimo: *Ipse est enim & lapis abscissus ille de mõte sine manibus concidentium, id est, Christus natus de virgine sine manibus complectentium, qui tantum crevit, ut mons magnus fieret, & impleret universam faciem terræ. De quo monte dicit Propheta, venite adscendamus ad montem Domini. Et de quo David dicit, Mons Dei mons uberrimus.*

Idem tomo octavo in Enarrat. Psalmi nonagesimo octavi sub finem: *Lapis ille qui præcisus est de monte sine manibus, jam videmus quantùm creverit, & quantas regiones terræ occupaverit & usq; ad quas gentes pervenerit. Quid est mons unde*

præcisus est lapis sine manibus? Regnum Judæorum. Primò quòd colebant unum Deum, inde præcisus est lapis Dominus noster Jesus Christus: ipse dictus est lapis quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. Lapis iste præcisus de monte sine manibus, confregit omnia regna terrarum. Videmus confracta ab illo lapide omnia regna terræ. Et paulò pòst: Quid est præcisus de monte sine manibus? Natus de gente Judæorum sine opere hominum. Omnes enim qui nascuntur, de opere maritali nascuntur, ille de virgine natus, sine manibus natus est: per manus enim opus humanum significatur, quò manus humanæ non accesserunt, ubi maritalis amplexus non fuit, fœtus tamen fuit. Natus est ergo de monte lapis ille sine manibus, crevit, & crescendo fregit omnia regna terrarum. Factus est autem mons magnus & implevit universam faciem terræ. Hæc est Ecclesia Catholica, cui vos communicare gaudete.

Idem Augustinus Tomo nono, Tractatu nono in Euangelium Iohannis: Daniel vidit lapidem præcisum de monte sine manibus & confregisse omnia regna terrarum, & crevisse illum lapidem & factum esse montem magnum, ita ut impleret universam faciem terræ. Quid apertius fratres mei? Lapis de monte præciditur, ipse est lapis quem reprobaverunt ædificantes & factus est in caput anguli. De quo monte præciditur, nisi de regno Judæorum, unde Dominus noster Jesus Christus secundùm carnem natus est? Et præciditur sine manibus, sine opere humano, quia sine amplexu maritali de virgine exortus est. Mons ille unde præcisus est, non impleverat universam

versam faciem terræ: non enim tenuerunt regnum Judæorum omnes gentes, at verò regnum Christi, omnes gentes & universum orbem terrarum cernimus occupare.

Eodem tomo Expos. in Epist. Beati Johannis, Tractatu primo: *Nónne lapis iste qui præcisus est de monte sine manibus Christus est de regno Judæorum sine opere maritali? Nónne ille lapis confregit omnia regna terrarum, id est, omnes dominationes idolorum & dæmoniorum? Nónne ille lapis crevit, & factus est mons magnus, & implevit universum orbem terrarum?*

Beatus THEODORETUS Cyrensis Episcopus Commẽtarijs in caput secundum Danielis paginâ quingentesimâ quadragesimâ-quintâ Editionis Colonienſis Johãnis Birckmanni Anni 1573. *Docemur igitur tum à veteri tum à novo Testamento Dominum nostrum Jesum Christum appellatum fuisse lapidem: hic enim excisus est à monte sine manib. natus de Virgine absq; nuptiali commercio: consuevitq; sæpè ortum præter naturam lapidis exscisionem divina scriptura nuncupare. Judæis enim in memoriam redigens Esaias eam filij procreationem, quæ præter naturam Abrahamo concessa fuit: inspicite, ajebat, in solidam petram, ex qua excisi estis, Igitur mons quidem Davidica tribus est, lapis autem Christus, qui, quantum ad humanitatem attinet, non secundùm naturæ legem excisus est, hic autẽ cùm parvus olim videretur, propter eam, quam induerat naturam, confestim maximũ se montem ostẽdit, qui universum complevit orbem terrarũ.*

Ita magno optimorum Patrum consensu hoc Danielis vaticinium de adventu CHRISTI in carnem agit, & non de adventu ad judicium universale vivorum & mortuorum.

Sic explicatus est finis seu scopus hujus vaticinij: sequitur

CAPUT SECUNDUM

DE circumstantijs adventus Regis Messiæ in carné, quas vaticinium hoc exhibet. Sunt autem numero quinque.

1. Quando Rex Messias nasci debuerit?
2. Quomodo?
3. Quali statu?
4. Ex quo populo?
5. Ad quem finem?

Prima circumstantia est, Quando Rex Messias nasci debuerit? RESP. Nasci debuit destructis penitus quatuor illis regnis quæ Nebucadnetzari in statua fuerant repræsentata. Sic enim prædixerat Daniel v. 34. & 35. *Vidisti usq; dum excisus est lapis sine manibus, & percussit imaginem ad pedes ipsius ferreos & luteos, adeò ut comminueret eos. Tunc comminuta sunt pariter ferrum, lutum, æs, argentũ & aurum, fuerũtq; ut gluma ex areis æstivis, ita abstulit ea ventus, & nullus locus inventus est eis: lapis autem qui percusserat imaginem effectus est mons magnus, adeò ut impleret totam terram,* et v. 45. *Vidisti è monte excindi lapidem sine manibus, & comminuere ferrum,*

rum, æs, lutum, argentum & aurum. Videntur quidem verba Prophetæ præ se ferre, ac si Messias stante adhuc quarto regno nasci debuisset: quia ait quòd lapis percusserit imaginem ad pedes ipsius ferreos & luteos, adeò ut comminueret eos; Quod autem omnino amplius non est, percuti & comminui non potest. At nequaquam voluit Daniel, quartum regnum illud staturum Christo nascente; quia eâdem prorsus ratione colligendum esset, etiam tres primas monarchias adhuc stetisse Christo in carnem veniente, quia apertè ait Daniel, quòd idem ille lapis comminuerit pariter ferrum, lutum, æs, argentum & aurum, & quòd ventus omnia illa cõminuta abstulerit. Si comminuit etiam æs, argentum & aurum & ventus omnia illa cõminuta simul abstulit; tum illa adhuc existitisse necesse est: Quod enim omnino amplius non est, id nec commminui, nec à vento auferri potest. At cùm certum sit, testante historiâ sacrâ & prophanâ, monarchias tres primas, nempe Babyloniorum, Medorum item & Persarum, & Alexandri Magni dudum ante Christi nativitatem subversas fuisse, quamuis contrarium ex hoc vaticinio colligi videatur: tum non est necesse quartum regnũ Messia nascente adhuc durasse, etiamsi contrarium ex hoc vaticinio colligi videatur. Dico autem *videatur*, quia revera bonâ consequentiâ non colligitur, eò quòd mute-

Objectio.

Responsio.

tur genus prædicationis, quum si integer Syllogismus formetur, major propositio sit propria, minor figurata. Syllogismus enim hujusmodi erit:

Quicquid lapis ille excisus è monte percussit & comminuit; id adhuc existit cùm lapis exscinderetur.

At pedes ferreos & luteos lapis ille excisus è monte percussit & comminuit:

Ergo pedes ferrei & lutei adhuc exstiterunt, cùm lapis exscinderetur.

Major propositio est limitanda: Quicquid lapis ille excisus è monte percussit & comminuit, id adhuc exstitit cùm lapis exscinderetur: scilicet, si propriè & corporali modo ista omnia facta intelligerentur. Sed quòd pedes ferreos & luteos lapis ille excisus è monte percusserit & comminuerit propriè loquendo, negatur. Propheticâ enim phrasi regna illa destructa à Messia dicuntur, quia propter & ante exhibitum Messiam quem hostiliter oppugnabant, dum Ecclesiam seu regnum ejus quod inter Judæos erat opprimere conabantur, divinâ disponente providentiâ destructa sunt etiam longo tempore antè quàm is in carnem veniret. Explicationis hujus verisimę exempla plura hoc ipsum vaticinium exhibet. Nam æs dicitur comminutum à lapide illo excisо è monte. Filius enim Dei fuit Rex populi Judaici etiam ante suum in carnem adventum: sicut Danielis cap. 12. dicitur ab Angelo ad Danielem: *Tempore*

pore autem illo, adstabit Michaël Princeps ille Maximus, qui stat pro filijs populi sui. Et Zachar. 1. v. 8. *Ecce vir insidebat equo rufo, & stabat inter myrtos quæ erant in profundo: posteà verò equos rufos, balios & albos.* CHRISTUS Dominus, Angelus ille magni consilij, est vir ille insidens equo coloris ignei, defendens Ecclesiã suam & consumens adversarios. Christus est vir ille stans inter myrtos quæ erant in profundo adumbrantes Ecclesiam quæ vivit, viret, floret, fructum edit & odora est in ipso, etsi in fluctibus & procellis gravissimarum calamitatum versetur. Equites verò rufis, balijs & albis equis insidentes sunt administri Christi quorum operâ utitur sive ad judicia sua exsequenda quod equis rufis indicatur, sive ad beneficia sua dispensanda quod equis albis significatur, sive ad utrumque præstandum, quod equis balijs figuratur. Prophetæ igitur Danielis hoc loco sensus est; Desiisse quatuor illa regna ante regni Christi in toto orbe erectionem; ut quod in Judæa sola ferre non poterunt, inter omnes Gentes & populos obtineret, hoc est, Monarchia Alexandri Magni destructa à Christo in carne manifestato, quę tamen longo tempore antè eversa fuerat. Similiter argentum dicitur comminutum ab eodem lapide, hoc est, Monarchia Persarum & Medorum abolita à Christo incarnato, cùm tamen annis trecentis viginti octo antè in Alexandrum Magnum translata fuerit.

Denique & aurum dicitur ab eodem lapide comminutum, hoc est, Monarchia Babylonica in nihilum redacta à Christo in carne exhibito, quæ minimùm annis quingentis triginta sex antè cessaverat. Prorsus igitur eodem sensu intelligendum, ferrum & lutum percussum & comminutum à lapide illo excisо è monte, hoc est, regnum Seleucidarum & Lagidarum desiisse ante Messię adventum in carnem. Quòd si quis nihilominus replicet & dicat, eodem modo utramq; præmissam accipi: ei tum respondeo, Majorem propositionem esse falsam, quia dari possunt instantiæ de tribus primis Monarchijs, quas lapis ille comminuit, non minùs atq; pedes ferreos & luteos. Si verò major particulariter accipiatur, nulla erit consequentia, quia ex puris particularibus nihil sequitur. Proinde Daniel instruere fideles voluit, omnia illa regna, quæ Nebucadnetzari repræsentata fuerunt, desitura planè ante nativitatem Regis Messiæ, eiq; veluti humi prostrata & in nihilum redacta cessura. Hæc declaratio confirmatur etiam eo, quòd *metalla*, hoc est, regna illa fuerunt ablata à vento sicut gluma ex areis æstivis, & nullus locus inventus est eis, antequam lapis ille è monte excisus, fieret mons magnus & impleret totam terrã. Multò adhuc clariùs explicatur hæc circumstantia in cap. septimo Danielis v. 11, 12, 13, 14. *Videbam vsq; dum occisa est bestia illa* (nempe quar-

quarta) *perditumq; corpus ejus ac traditum incendio ignis, etiam residui bestiarum ablatus est dominatus: quia spatium in vita datum fuerat eis usq; ad tempus & constitutum tempus. Videbam visionibus nocturnis, quòd ecce in nubibus cæli similis filio hominis veniebat: deinde usq; ad Antiquũ dierum pervenit ut sisteretur ante eum: Et huic datus est dominatus, gloriaq; ac regnum, ut omnes populi, nationes & linguæ ei seruiant: cujus dominatus, dominatus est perpetuus qui non præterit; & regnum ejus, quod non corrumpitur.* Et rursus v. 26. & 27. *Sed judicium considebit; & dominatus ejus auferetur profligando & perdendo usq; in finem. Regnum autem dominatusq; & amplitudo regnorum sub toto cælo dabitur populo sanctorum excelsorum: cujus regnum, regnũ erit perpetuum, & omnes dominatores ei servient & auscultabunt.* Quibus verbis non ampliùs obscurè, sed jam perspicuè Daniel prædicit quartam bestiam ante erectum Christi regnum occidendam, corpusq; ejus perdendum, incendio tradendum & residui dominatus auferendum, hoc est, quartum regnũ penitus ante Christi advẽtum in carnem destructum iri, in primis propter intolerãdam impietatem *parvi cornu*, hoc est, Antiochi Epiphanis: quę totalis destructio accidit sub Antiocho Asiatico Antiochi Pij filio, genito ex Selene, quæ priùs Antiocho Cyziceno patri istius Pij & patruo Grypo nupserat. Iste Antiochus Pius aut potiùs Impius, divina ultione meritò à Tigrane pulsus, filius verò ejus

Antiochus Asiaticus à Pompejo Magno Syriæ regno privatus est, prętexente Pompejo, iniquum esse, postquam veteres reges semel Tigranis armis pulsi fuêre Syriâ, nunc eam Seleucidis victis cedere, potiùs quàm Romanis victoribus: atque ita Cilicia, & tum mediterranea tum cava Syria, Phœniceq; ac Palestina sine certamine accessit Romano Imperio, cum alijs Gentibus Euphratem inter & Ægyptum sitis: ut refert Appianus Alexandrinus libro de bellis Syriacis. Sic Seleucidis ademtum regnum à Pompeio Magno, Lagidis verò similiter ademtum ab Augusto Cæsare post pugnam Actiacam quâ M. Antonius & Cleopatra ultima ex Lagidis Ægypti regina victi fuerunt: Ita regnum duorum crurum & pedum quod gravissimè Ecclesiam Dei calcaverat comminutum & in nihilum redactum evanuit. Atque hoc est judicium illud quod hîc confediſſe dicitur, & cujus sententiâ judiciali occisa est quarta bestia, perditumq; corpus ejus ac traditum incendio ignis, & residui bestiarum ablatus dominatus. Neq; verò hîc extremum illud & universale judicium vivorum & mortuorum intelligendum, sed judicium particulare in regnum Syriæ quod Seleucidæ omnes & Lagidæ duo per vices habuerunt. Solitus est enim Deus cæli exercíturus vindictam in regem aliquem seu regnum ejus, Prophetis per visiones se exhibere in throno sedentem ad judi-

Objectio.

Solutio.

judicium exercendum. Ita Propheta Michajehu, ut legitur 1. Reg. 22. vidit Jehovam insidentem solio suo & totum exercitum cæli adstantem ei à dextera ejus & à sinistra ejus, & quasi sententias rogãtem, cùm in impium Achabum Regem Israëlitarum animadvertere vellet. Jesaias cap. sexto vidit Deum solio celso & elato insidentem, stipatum satellitio Angelorum ad judicandum Judæos. Ezechiel cap. 1. & 10. vidit Jehovam solio insidentem cùm vindicaturus esset in Judæos rebelles & idololatras. Johanni Apostolo visus est Deus throno insidẽs cùm judicia sua in mundum exercere constituisset Apocal. 4. & seqq. Eadem est ratio visionis Prophetæ Danielis. Non sequitur: Hìc fit mentio judicii, Ergo extremi illius universalis judicii.

Unde etiam hic adventus Filii hominis ad Antiquum dierum, non de adventu ad judicium universale intelligendus, sed de adscensione Christi in cælum, quod Benedictus Pererius Valentinus Jesuita libro octavo commentariorum in Danielem fatetur, pag. trecentes. septuages. tertiâ & quartâ Editionis Lugdunensis in quarto Anni 1588. Ac sanè Christus adscendens in cælum accepit regnũ à Patre seu Antiquo dierum Ephes. 2. v. 20. & sequentibus. Philipp. 2. v. 9, 10.

In ultimo verò adventu suo traditurus est Christus regnum Deo & Patri. 1. Cor. 15. 24.

Sed objici potest rursus; versu 44. dici, *In Objectio alia.*

diebus Regnorum istorum seu *Temporibus regum istorum suscitandum fuisse regnum Christi:* idq; nõ posse intelligi de regnis Seleucidarum & Lagidarum, quia ante Christi incarnationem destructa sunt, ut paulò ante dictum: intelligendum igitur hoc quartum regnum de Romana Monarchia, quâ stante Christus natus est temporibus Augusti Cęsaris. Ad istam ob-

Responsio. jectionem hæc responsio nostra est. Certum est, Christum natum Bethlehemi, stante Romanâ Monarchiâ temporibus Augusti Cæsaris. De hoc nulla controversia est, quum Spiritus Sanctus id dicat Lucę 2. Sed stante quarto regno in statua Nebucadnetzaris repræsentato Christum nasci debuisse, nego. Nam etsi versio Latina habeat; *In diebus regnorum illorum,* seu ut alia habet, *Temporibus Regum istorum:* tamen textus Chaldaicus aliam interpretationem recipit & requirit. Particula enim ב in voce וּבְיוֹמֵיהוֹן non significat *in,* sed *post.* Sæpè quidem significat *in,* sed non semper; quũ varias significationes habeat, ad minimum quindecim, quæ in Thesauro linguæ Sanctæ à Sante Pagnino editò & à Mercero illustrato enumerantur, inter quas postrema est, quòd interdum idem valeat ac *post,* junctum nomini tempus aliquod significanti, velut Numeror. 28. v. 26. *Et in die primitiarum quum obtuleritis munus novum Domino* בְּשָׁבֻעֹתֵיכֶם id est, *post hebdomatas vestras,* ut interpretatur San-

tes

tes Pagninus in Thesauro, item Tremellius & Franciscus Junius in sua versione ubi etiam hæc annotatio additur, exactis septem illis septimanis de quibus cautum est Levit 23.v. 15.& 16. Vulgata versio Latina habet, *expletis hebdomadibus vestris*, ut ostēdit collatio locorū in Numeris & Levitico. Similiter hoc quoq; Danielis loco particula hæc significat *Post*, propter sequētes rationes: *Prima* est quia Daniel loquitur de regnis seu regibus pluribus, dicens דִּי מַלְכַיָּא אִנּוּן hoc est, *regnorum istorū*, ut habet vulgata Latina, seu, *Regum istorum*, ut Franciſci Vatabli, item Tremellij & Junij versio habet: Quibus verbis intelligit illa regna seu illos Reges de quibus hactenus locutus erat. At certum est ex cap. septimo, ubi clariùs mysterium hoc quatuor regnorum Danieli exponitur, omnia illa regna desitura fuisse priùs quàm dominatus in omnes populos, nationes & linguas Filio hominis daretur.

Secunda ratio, quia temporibus duorum crurum, h. e. regum Seleucidarum & Lagidarū Rex Messias non est natus.

Ergo aut vertendum est, *Post dies Regum istorum suscitabit Deus cæli regnum*: aut si vertatur, *In diebus Regum istorum*, phrasis ambigua rectè explicanda.

Sententia igitur est; Exactis temporibus Regum istorum, exhiberi Regem Messiam debuisse.

Quòd si quis omnino contendat vertio-portere, *Et in diebus Regum istorũ suscitabit Deus cæli regnum*, tum de Herode potiùs qui infantes Bethlehemiticos interemit Christi causâ & Christum quoq; ipsum interimere conatus est, de Herode inquam & posteris ejus intelligendum erit, quia illi cùm exteri & non Judæi essent ditiones aliquot regni Syrię quę Seleucidarum fuerant obtinebant, Christo nascente & postea regnum suum in toto mũdo erigente. Illam autem regni Syriæ quod Seleucidarum fuerat partem maximè obtinebant, in qua erat Ecclesia, cujus causâ visiones istæ à Daniele consignatæ & fidelibus sunt traditæ. Scriptura etiá Sacra dicit Matt. 2. v. 1. *Natum esse Jesum in Bethlema Judææ, tẽporibus Herodis Regis*. Luc. 1. v. 5. Et quo tempore regnum Christi maximè crescere cœpit passim inter Gentes, simul Reges erant, Agrippa rex Judæę & Herodes 1 v. rex Chalcidis, quorum regna paulò post evanuerunt, Romanis Imperatoribus ditiones illorum in provincias redigentibus. Itaq; si vertendum, *Et in diebus Regum istorum suscitabit Deus cæli regnum:* Herodes rex, & posteri ejus qui itidem Reges fuerunt, intelligendi erunt. Sed quò minùs de Herode & posteris ejus accipi possit, facit primò hoc ipsum vaticinium Danielis, in quo metallum quintum non accedit ad figurandam monarchiam Idumææ gentis, ex qua Herodes erat. Deinde obstat cap. 7. Danielis

nielis in quo dicitur etiam reſidui beſtiarum ablatus eſſe dominatus ante Chriſti adſcenſionem ad Patrem & regni ſuſceptionem.

DE ROMANA MONARCHIA aut Imperatoribus Romanorum certè intelligi nequit propter ſequentes rationes:

I. quia Romana Monarchia, una Monarchia, unum regnum, & rex illius unus, nempe Auguſtus Cæſar CHRISTO naſcente fuit ut & CHRISTO in cælum adſcēdente & regnum ſuſcipiēte ſolus Tiberius Romanorum *rex* fuit: at Daniel dicit, *In diebus Regnorum iſtorum; ſeu, Temporibus Regum iſtorum,* de pluribus regnis & regibus loquens, non de uno.

II. quia regna iſta cum regibus ſuis ante Chriſti adventum in carnem deſtructa fuerunt, ut antea probatum: at Romana Monarchia ante Chriſti advētum in carnem non eſt deſtructa, imò tunc maximè cœpit & poſt Chriſti adventum in carnem magis atq; magis amplificata, ſub Trajano longè florentiſſima fuit & per aliquot adhuc ſecula duravit.

III. quia nominatim regnum duorū crurum Nebucadnetzari in ſtatua repræſentatum à Romanis everſum eſt: unum crus, unus pes nempe Seleucidæ à Pompejo Magno; ut commemorat Appianus Alexandrinus in Syriacis: alterum crus, alter pes nimirum Lagidæ ab Auguſto Cęſare, ut recitat Strabo Geographiæ libro decimoſeptimo.

IV. quia ſi qui hoc quartum regnum de

Monarchia Romana accipiunt, & statuunt illam adhuc stare, ij confirmant Judæos in falsa opinione, regem Messiam nondum natum esse. Judæi enim regnum hoc æternum de quo Daniel vaticinatur, intelligunt similiter de regno Messiæ & illo erecto quartum regnum aboleri aut abolitum esse oportere credunt, sicut Daniel prædixit. Jam si Romana Monarchia adhuc durat, tum verus Rex Messias nondum venit. Atqui hoc longè absurdissimum est & fidei Christianæ de Christo exhibito contrarium.

V. quia si istud quartum regnum est Romana Monarchia, tum hoc vaticinium de ultimo Christi adventu est intelligendum. At hoc non est: Ergo nec illud. Nam si primus Messiæ adventus hoc vaticinio prædictus intelligitur: tum Romanorum imperium Christo nascente periisse necesse est. Atqui si antecedens verum est: Tum & consequens. Hanc consequentiam vidit necessariã esse B. Theodoretus, qui Commẽtario in versum quadragesimum quartum sic ait inter alia: *Quòd si contendant pristinum Domini adventum his verbis significari, ostendant Romanorum imperium, simulatq; Salvator noster apparuit, periisse. Omnia enim contrà reperiuntur, viguisse ipsum ac non periisse cum Salvatoris ortu: siquidem Augusto regnante Dominus in lucem editus est. Secundus quidem ille regnavit, omnes autem, ut ita dixerim, homines suæ ditioni subjunxit, omnemq; terrarum orbem, ut Euan-*

gelia

gelia testantur descripsit, tributumq; imperavit. Regnum igitur Romanorum, quod illo obtinēte vigut, vsq; adhuc permansit. Argumentatio Theodoreti est, Si versu 44 & 45 primus Christi adventus intelligitur, tum Romana Monarchia Christo nascente interiit. Posterius non est: Ergo nec prius. At verò semel certum est, Theodoretum versum 34 & 35 de adventu Christi primo in carnem exposuisse, de quo exponi necessariò debent. Quia verò quartum hoc regnum de Romana Monarchia accepit intricatum se animadvertit cùm ad versus 44 & 45 expositionem veniret. Vidit enim si istos quoque versus de primo adventu Christi interpretaretur, eventum vaticinio non respondere, quum suo tempore adhuc floreret Romanorum Monarchia. Ideo in his duobus versibus 44 & 45. statuit de vltimo Christi adventu agi, quo omnibus regnis hujus mundi finis imponetur. Sed ut versus trigesimiquarti & trigesimiquinti interpretatio est probanda: ita versus 44 & 45. explanatio merito improbanda;

Primò, quia & Danieli & Theodoreto ipsi adversatur. Si enim Daniel versu 34 & 35 de primo adventu Messiæ egit: tum versu 44 & 45 quibus illorum expositio continetur, non intellexit adventum ultimum: Nam expositio non debet rei exponendæ repugnare. At Danielem versu 34 & 35 de primo Christi adventu loqui certum est, & Theodoretus ipse

ſtatuit. Quare verſus 44 & 45 de vltimo adventu Chriſti intelligi non debent.

Secundò, quia regnum Chriſti non demum ante mundi & monarchiæ Romanæ finem ſuſcitabitur.

Tertiò, quia aurum, argẽtum & æs, hoc eſt, tres primæ Monarchiæ, non demum in fine mũdi cõterentur, ſed jam pridem euanuerũt.

Quartò, quia ſi communiter quævis regna in verſu 44 & 45 intelligantur per aurum, argentum & æs, tum irrita eſt interpretatio ipſius Danielis v. 37 & ſequentibus tradita. At hoc poſterius eſt abſurdum: Ergo & prius.

Quemadmodum autem Theodoretus vidit & faſſus eſt, ſi verſus 44 & 45 de primo adventu Chriſti in carnem intelligãtur, tum Romanam Monarchiam oportuiſſe cum Salvatoris ortu interire: Ita quoq; Auguſt. idem animaduertit. Ideo cùm videret de primo adventu Chriſti omnino in illis agi, de quo etiá ſemper eſt interpretatus: per aurum, argentum, æs, ferrum & lutum quæ lapis ille è monte ſine manibus exciſus contrivit: non regna corporalia, ſed regna ſpiritualia idolorum in Romana Monarchia & aliis regnis in quibus Euangelium prędicatum eſt intellexit. At interpretatio iſta regnorum repugnat menti Danielis: qui per aurum, argẽtum, æs, ferrum & lutum corporalia regna intellexit, eorumque mutationem & deſtructionem prædixit, ut apertè teſtantur verſus 37, 38 & ſequentes:

tes: & ijs regnum ſpirituale Chriſti oppoſuit in æternum duraturum.

Benedictus Pererius Ieſuita, quia & ipſi quartum regnum Danielis eſt Romana Monarchia, ſimiliter abſurditatem de abolitione illius cum exortu regni Chriſti evitare conás, per aurum, argentum, æs, ferrum, quæ lapis ille comminuit, non corporalia regna, ſed idololatriam & dæmonis imperium intelligi oportere pronunciavit. At iſta Pererij opinio non tantùm menti & interpretationi ipſius Danielis repugnat, ſed etiam praxi Romanæ Eccleſiæ, quæ licèt initio idololatriam Gentilem vitaverit: tamen ſuccedente tempore idololatriam idololatriâ commutavit & innúmera idololatriæ regna erexit. Unde etiam ſequitur, hodiernam Eccleſiam Romanam regnum Chriſti non eſſe. Nam regnum Chriſti ſecundùm Auguſtinum & Pererium idolorũ regna deſtruxit: At Romana Eccleſia idolorum regna non deſtruxit, ſed erexit: Ergo Romana Eccleſia non eſt regnum Chriſti.

Deinde opinio Pererij in eo etiam vaticinio Danielis repugnat, quia naſcente Salvatore regna illa quatuor deſtructa eſſe debuerunt, aut dato ſed non conceſſo, quartum regnum adhuc ſtare debuiſſe: tamen cum exortu Salvatoris comminui & aboleri debuit; at idololatria cum exortu Salvatoris non eſt abolita. RESPONDET Pererius, *Non eſſe putandum, hoc eſſe factum in omnibus regnis ſimul &*

uno tempore, sed paulatim & per varia temporum intervalla, nunc his, nunc illis regnis ad fidem Christi cõversis, & dominationi Christi, potestatiq; ipsius Ecclesiæ, in his quæ ad spiritualem eorum gubernationem faciebant omnino subjectis. Ex quo factũ est, (ait Pererius) *ut post conversionem Magni Constantini, Imperatores Romani & alii Reges, se suaq; regna Christo Domino & ipsius Ecclesiæ subderent, summumq; Pontificem totius Ecclesiæ Pastorem, Christiq; vicarium in terris, tanquam suum patrem, principem & monarcham in his quæ ad Deum & salutem animæ pertinent, humiliter adorarent, religiosè venerarentur, & libenter atq; obedienter ejus salutaria iussa & decreta amplecterentur.* At ista responsio aliena prorsus est à Danielis sensu: *Primò* quia Daniel non quævis regna intelligit, sed ea quæ Nebucadnetzari repræsentata in somnio fuerant & à Daniele explicata; at Pererius intelligit alia regna quælibet quæ post Christi nativitatem in mundo fuerunt. *Secundò* Daniel intelligit regna corporalia; Pererius spiritualia. *Tertiò* Daniel per lapidem illum è mõte sine manibus excisum intelligit solum CHRISTVM unicum Monarcham Ecclesiæ: at Pererius Christo Pontificem Romanum substituit.

Plura argumenta cur quartum regnum Danielis non sit Monarchia Romana protulimus in Commentarijs in Danielem & in oratione de quatuor regnis apud Danielem.

Objectio. Sed huic nostræ sententiæ *objici* potest, Danie-

Danielem de quatuor summis monarchijs quæ in toto orbe usq; ad finem mundi esse debebãt, agere: ac proinde regnum quartum esse Monarchiam Romanam. RESPONDEO hanc opinionem, ut ut multis placuit præsertim illis, qui tempus extremi judicij investigare conati sunt, vaticinio Danielis non convenire. Nec enim Deus curiositati humanæ cupienti cognoscere quid in toto mundo vsque ad ejus finem futurum sit, voluit satisfacere: sed somnio illo & Nebucadnetzari & Ecclesiæ suæ consulere voluit; Nebucadnetzari quidẽ, ut altos spiritus gerentẽ & majorem in modum ob regni amplitudinem superbiẽtem, aliosq; inhumaniter & crudeliter tractantem ad animi humilitatem revocaret dupliciter: *Primò*, dum eũ monuit ut agnosceret instabilitatem & brevitatem regni sui nõ multò pòst ad aliam gentem transferendi, seque submitteret Deo cæli, in cujus potestate est regna dare quibuscunq; vult, vel auferre. *Deinde* dum eum terreni regni amplitudine & potentiâ subnixum & felicitatis opinione inebriatũ scire voluit, esse aliud quoddam regnum nempe CHRISTI, præstantius ipsius regno & cæteris omnibus regnis, divinum nempe & longè potentius utpote totum mundum implens, & æternum: tantò cęteris regnis excellentius, quantò Deus hominibus, cęlum terræ, æternitas tempori aut potiùs momento temporis præstat. Unde

Responsio.

cuncti hujus mundi Principes discant agnoscere, omnem suam potentiam & gloriam esse instar somnii & imaginis brevem & evanidam & se regno Christi subjiciant.

Ecclesiæ verò suæ exsulanti Deus consulere voluit itidem dupliciter: *Primò* flectendo Nebucadnetzarem ad clemētiam erga illam dum is cognoscere potuit, Deum populi Judaici licèt captivi, esse solum verum Deum qui ipsi Nebucadnetzari regnum dederit & auferre possit: *Secundò* efficaciſsimam consolationem præbendo adversus acerbitatem servitutis quâ Ecclesia tum premebatur & deinceps premenda erat cum graviſsimis afflictionibus usq; ad Christi in carnem adventum, qui ipsos in veram libertatem spiritualem quæ corporali longiſsimè præferenda est, asserturus & regni sui æterni consortes facturus erat.

Statua igitur Nebucadnetzari Magno in somnis visa repræsentavit, Monarchiam ipsius non fore perpetuam, sed varias mutationes regnorum secuturas in tota terra illa cui tum imperabat. Quatuor autem regna indicavit significata per quatuor metalla, ex quibus velut materia quadruplice compacta statua videbatur, quæ diversorum futura erant populorum, totam illam terram quæ tum Nebucadnetzari parebat, per successionem obtenturorum & Ecclesiam Dei gravi dominatu pressurorum, vsque ad Messiæ adventum

ventum in carnem, qui regnum gratiæ in toto mundo erecturus erat.

PRIMUM REGNUM fuit Babylonicum seu Chaldæum, quod tum erat penes Nebucadnetzarem Magnum, repręsentatum in statua per caput aureum. Per *caput* quidem, quia in numero quatuor illorum regnorum primum fuit, & quia sub regno Nebucadnetzaris & filiorum ejus studium sapientiæ, cujus sedes in capite, maximè florebat, ut ex cap. 1. Danielis v. 4. & 20. & ex hoc ipso capite secundo v. 2. apparet & magis adhuc ex versu 48. in quo cõmemoratur quòd Rex Nebucadnetzar Danielem præfectum constituerit super omnes sapientes Babyloniæ. O quàm felices discipulos tali magistro! Unde Chaldæi sapientiæ laude ornati sunt etiam ab oraculo, μᾶλλον χαλδαῖοι σοφίαν λάχον, *Soli Chaldæi sapientiam sortiti sunt*; quod recitat Justinus Martyr in Parænesi ad Græcos pag. nonâ Edition. Commel. Anni 1593. & pag. decimaoctavâ. Certè sub Monarchia Nebucadnetzaris studium sapientiæ in Chaldæa florentissimum fuit, & populi depositâ ferocîâ ad mansuetudinem aliquam traducti.

Per *aurum* verò seu *aureum* caput repræsentatum fuit regnum Chaldæorum, tum quia auri ditissimum fuit, thesauris ingentibus collectis in occupatione tot regnorum & provinciarum quibus imperavit, unde plenum magnificentiæ exstitit: tum quia Eccle-

siæ ſtatus ſub regno illo fuit aureus, ſi conferatur cum ſtatu qui fuit ſub regnis ſequentibus. Nam Eccleſia magis floruit in Babylonia quàm poſtea ſub regibus aliis: quia Daniel, Chananja, Miſchaël & Hazarja & procul dubio etiam alij exules Judæi in magno honore apud Nebucadnetzarem & Evilmerodachum fuerunt; ornata fuit Eccleſia gloriâ miraculorum & prophetiarum de rebus futuris maximis de quib. Danielis & Ezechielis libri abundè docent: et Jehojacinis regis Judææ ſolium poſuit EvilMerodach ſuper ſolium reliquorum Regum qui erant ſecum in Babylonia 2. Chron. 25. ſub finem.

Per caput autem illud non fuit repræſentata Monarchia Aſsyriorum, quod ex ſequentibus rationibus patet.

Prima ratio: quia Monarchia Babylonica per illud repræſentata eſt, ut Daniel ipſe interpretatur v. 37. & 38. Diſtinctæ enim fuerunt hæ duæ Monarchiæ inde ab æra ſeu epocha Nabonaſſaris, quæ incidit in annum Mundi 3203, juxta ſupputationem Joſephi Scaligeri libro quinto de Emēdatione Temporum, capite de primo Thoth Nabonaſſaris. Extincto Sardanapalo regnum Aſſyriorum translatum eſt in Medos, ut autor eſt Diodorus Siculus libro 2. capite 7. Regum Medorum, qui etiam Aſsyriam obtinebant, poſtea jugum excuſsit Nabonaſſar. Ab eo tempore Babylonica Monarchia cœpit diſtingui

tingui ab Assyria. Quæ distinctio etiam Jerem. 50. v. 17, 18 retinetur, ubi Deus ipse diserte eas distinguit, cùm ait: *Parva pecus dispersa fuit Israël, quam leones depulerunt: prior comedit eam rex Assyriæ, hic autem posterior ossa ejus comminuit Nebucadnetzar rex Babyloniæ. Idcirco sic ait Jehova exercituum Deus Israëlis: Ecce ego animadvertam in regem Babyloniæ & in terram ejus, quemadmodum animadverti in regem Assyriæ.* Quæ apertissima est duarum Monarchiarum distinctio nullam admittens elusionem. Similiter distinguuntur hæ monarchiæ Jesaiæ cap. 10. & cap. 13. & maximè cap. 14. v. 25. vbi eversionem monarchiæ Assyriorũ quæ paulò post futura erat juxta vaticinium Jesa. 10. posuit Jesaias tanquam signum eversionis monarchię Babyloniorum longo pòst intervallo eventuræ, ut ex eversione monarchiæ Assyriorum complementum Prophetiæ de eversione monarchiæ Babylonicæ certò futurum colligeretur. Ita tempore Jesaiæ alius rex Assyriæ, alius Babyloniæ fuit.

Tum in iisdem Sacris literis diversi Reges Assyrij à Babylonijs recensentur qui errore Chronologorum vulgò confunduntur.

Reges Assyrii post Sardanapalum & Arbacem sibi succedentes, quorum Scriptura Sacra meminit, fuerunt:

Pul 2. Reg. 15. v. 19. 1. Chron. 5. 26.
Tiglath-Pileser 2. Reg. 16. 7.
Salmanassar vel Schalmaneser 2. Reg. 17. 3.

Sennacherib 2.Reg.18.13.

Esarchaddon 2.Reg.19.37.Iste ultimus fuit & subversus à Merodach Baladane Rege Babyloniæ Ezech. 30. v. 15, 16.

Reges verò *Babylonii*, sibi succedêtes fuerũt; *Balâdan*, sic eum Spiritus Sanctus vocat 2.Reg.20. 12. et Jesai. 39. 1. Nabonassar aliàs dictus vel Nebonatzar quod est nomen regium: nomen quod privatus habuit est Bel-Adan vel Balâdan. Nabonazarum vocat Censorinus. Cœpit regnare Babylone post interitum Sardanapali & translationem regni Assyriorum ad Medos anno 77 ut Abr. Bucholcerus supputat.

Non est autem Salmanassar ut sequentia ostendunt argumenta. 1. quia NABO prima pars nominis Nabonassaris est regum Chaldææ, non Assyriæ: et SALMAN prima pars nominis Salmanassar est regum Assyriæ, non Chaldęæ. 2. quia omnes rationes Astronomicæ veterum, non ex Assyria, sed ex Chaldæa & quidem ejus metropoli Babylone, petuntur. Unde annis Nabonassari, qui novam Monarchiam Babylone cœpit, Astrologiæ custodiam acceptam ferimus, ut patet ex Berosо, Hipparcho, Epigene & Ptolemæo. Qua de re Josephus Scaliger libro quinto de emẽdatione temporum, pag. trecentesimâ sexagesimâ octavâ editionis Lugdunensis Anni 1598. 3. quia Nabonassaris filius Mardocem-

empadus seu Merodach cœpit regnare anno mundi 3229, qui erat sextus Ezechiæ Regis Judæ, quo tempore capta Samaria à Salmanassare 2. Reg. 18. v. 10. Jam si Salmanassar esset Nabonassar, esset idem rex Merodach, Nabonassar & Salmanassar, quod manifestissimè est absurdum.

Berodach Balâdan, filius Baladanis 2. Reg. 20. v. 12. sed Jes. 39. 1. vocatur Merodach Baladan. Ab aliis appellatur Mardokempad. Cœpit regnare Babylone anno Nabonassaris 27. Anno Mundi 3229 qui erat sextus annus Ezechiæ Regis Judæ, quo tempore capta Samaria à Salmanassare ut jamjam dictũ. Iste Merodachus quo tempore alii Reges Assyriæ erant, misit Babylone legatos cum munere ad Ezechiam regem Juda; audierat enim ægrotasse Ezechiam & confirmatum esse, 2. Reg. 20. 12. Jesai. 39. 1. ut inquirerent de prodigio illo quod fuerat in terra. 2. Chron. 32. 31. Quibus cum lætatus est rex Ezechias & eis omnes suos thesauros ostendit. Ita quo tempore rex Assyriorum hostis erat Regis Ezechiæ: eo tempore gratulationis & amicitiæ causâ ad Ezechiam legatos misit Rex Babyloniæ. Nam Merodach ante Sennacheribi interitum erat rex Babyloniæ, & duodecimo anno regni sui devicit Esarchaddonem regem Assyriorum & omnem Assyriorum potentiâ ad Chaldæos transtulit, regnavitque annos quadraginta, ut Abrahamus Bucholcerus in

Chronologia sua docet. Iste Merodachus debellavit regem Assyriæ, Ezechiel. 31. 18. sunt-que ab anno quo ægrotaverat Ezechias usque ad captivitatem plenam Babylonicam anni 125.

Ben-Merodach. regnavit annos 21. ut autor est Megasthenes.

Nebucadnetzar senior, regnauit annos 35. Megasth.

Nabopolassar, pater Nebucadnetzaris magni vocatur à Ptolemæo & Eusebio & à Berofo Chaldæo Nabulassar. Cœpit regnare Anno Nabonassaris 123. Regnavit XXIX annos.

Nebucadnetzar magnus, qui populum Judaicum in captivitatem abduxit, & cui somniū oblatum quod Danielis secundo capite describitur. Nebucadnetzar Magnus non est Nabopolassar, ut patet ex Berofo, qui eos apertè distinguit, & Nebucadnetzarem Magnum filium Nabopolassaris facit. Nabopolassar regnavit tantùm annos XXIX & decessit anno Nabonassaris 149. Nebucadnetzar Magnus autem regnavit annos 43 computatis simul septem annis quibus cum patre regnavit & decessit anno Nabonassaris 185.

Evvilmerodach 2. Reg. 25. v. 30.

Beltschatzar Dan. 5. v. 1.

Hactenus prima ratio.

Secunda ratio est, quia per statuam illam significata sunt regna partim tunc præsentia partim

partim futura, non autem præterita & jam pridem exstincta. Quapropter hîc non comprehenditur monarchia Assyriorum, quippe quæ ducentis circiter annis ante hujus somnii tempus destructa & eversa fuerat ut Pererius annotavit pag. octogesimâ secundâ.

Tertia ratio est, quia caput illud aureum repræsentavit florentem tum Monarchiam: at monarchia Assyria erat jam pridem penitus eversa ut patet ex Ezech. 31. v. 11. juxta usitatam supputationem vel. v. 18. juxta Tremellii & Junii supputationem. Tradiderat enim Jehova Assyrium in manum fortissimi gentiũ nempe Babylonii, ut nominatus est Ezech. 28.7. & 30.15, 16. Esarchaddon Assyrius oppressus est per Berodach-Baladanem Babylonium. Vide in Bibliis Gallicis argumentum cap. 31. Ezech. & notam marginalem ad v. 11. & Francisci Junii notam ad 18. versum, vt ipse numerat. Ab eversa monarchia Assyriorum usq; ad somnium Nebucadnetzari objectum effluxerunt non pauciores quàm centum anni. Imò Benedictus Pererius Commẽtar. in Daniel. pag. octoges. secunda ducentis circiter annis ante hujus somnii tempus destructam ait, ut paulò antè dictum. Cui igitur persuadebitur; Monarchiam jam pridem eversam repræsentatam fuisse per caput aureum?

Si quis dicat Babyloniorum Monarchiam & Assyriorum eandem rectè statui, quia Ac- *Objectio.*

Responsio. syriorum antea fuit; ei respondeo : Regem quidem Babyloniæ subjugatâ Assyriâ rectè etiam potuisse regem Assyriæ vocari, sicut appellatus est rex Merodach qui Manassem filium Ezechiæ cepit 2. Chron. 33. v. 11. quia tum Assyria Regis Babyloniorum erat : sed propterea Monarchia Babyloniorum nõ magis fuit Assyriorum, quia Assyriam Babylonii sibi subjugarant, quàm Persica monarchia fuit Babylonica, quia Babyloniam sibi Persæ subjugarunt : aut quàm Turcica Monarchia est Romana, quia Turcæ obtinent quæ Imperatores Romanorum antea obtinuerunt. Monarchia enim quælibet denominatur à populo victore eam obtinente, non à populo victo qui eam antea possedit, licèt rex victoris populi etiam regionum occupatarum rex jure vocetur. Sicut Turca appellatur jam rex Græciæ, rex Ægypti &c. quia Græciam & Ægyptum obtinet nec tamen monarchia est Græcorũ seu Ægyptiorum, sed Turcarũ.

Si quis rursus dicat, Monarchiam eandem aliàs penes Assyrios, aliàs penes Babylonios fuisse, ei primò Historiæ antiquæ veritas refragatur: Nam Diodorus Siculus lib. 2. cap. 7. testatur quòd Arbaces Medus Assyriorũ Monarchiam ad Medos transtulerit, quodq; Belesis præfecturam Babyloniæ obtinuerit, Regi tamen Arbaci subjectus manens. Deinde ei Scripturæ autoritas repugnat, ex qua constat, inde à Nabonassare eodem tempore a-

lios

lios Reges in Assyria, alios itidem in Babylonia regnasse, sicut Merodach regnavit Babylone, cùm Sénacherib & post eum Esarchaddon, regnarent in Assyria.

Quarta ratio, quia ut non de eversa Monarchia Assyriorum tam sollicitè cogitaverat Nebucadnetzar in cubili suo, sed de sua quid de ea in posterum futurum esset: ut patet ex v. 29. cap. 2. Danielis, quod rectè Pererius statuit, ita etiam non de eversa Monarchia Assyriorum, sed de tum florête Babylonica, quid de ea futurum esset Nebucadnetzari Deus in somnio ostendit, vt apparet ex v. 28, 30, 45. Certè ut ex causa dicendi sumenda est intelligentia dictorum, ut rectè pronunciat beatus Hilarius; ita ex causa visionis sumenda est intelligentia ejusdem, ut genuinus sensus ex ea efferatur, non alienus in eam inferatur.

SECUNDUM REGNUM in statua illa repræsentatum pectore & brachiis argenteis, fuit Persarum & Medorum. Alio metallo repræsentatum fuit quod non generatur ex auro, ut ostenderetur aliam familiam ex alio populo & nõ ex Nebucadnetzare ortam, totam illam terram occupaturam quam tum imperio suo Nebucadnetzar tenebat. Argento autem, hoc est, viliori metallo regnum illud repræsentatum est, ut ostenderetur, Regis Persiæ & Mediæ quorum prosapia inferior & potentia, autoritas, splendor, majestas tum vilior erat quàm Nebucadnetzaris, duriores et-

iam futuros in Babylonios devictos, ut sic in occupanda & subjuganda sibi Babylonia ne aurum quidem sint curaturi Jesai. 13. v. 17. Ecclesiæ item statum sub regibus Persicis fore argenteum, hoc est, minùs tráquillum quàm fuit sub primo regno, sed tamen meliorem quàm sub regnis secuturis; quia sub regno Persarum reditus concessus populo Judaico in patriam: conservati Judæi à παναλεθρία sub Achasuero seu Xerxe Magno Estheræ reginę marito: templum rursus ædificatum Jerosolymis: urbs etiam ipsa cum plateis & fossis, sed in angustia temporum. Dan. 9. 26. Etsi verò aliquas interdum veluti inducias Judæi habuerunt, tamẽ angustia & calamitas alia subinde aliam excepit, Cambyse illis irato & oppressionem eorum meditante, alijs etiam regibus Persicis adversus eos inflammatis, ut videre est toto cap. quarto libri Ezrę. Nehem. 1. v. 3. & cap. 2. v. 3, 9, 19. & cap. 4. toto & cap. 6. toto. Item libro Estheræ cap. 3. & 4.

Duobus verò brachiis hoc regnum fuit repræsentatum, quia à duobus populis Medis & Persis, potentiâ suâ percutientibus & subjugantibus Babylonios & alios populos Babyloniis priùs subjectos occupatum & administratum fuit. (sunt hi;

Reges quorum secundũ hoc regnum fuit,

Darius Medus & Cyrus.

Cambyses. Hoc mortuo Sphendadates seu Smerdis Magus pro Tanyoxarce Cãbysis fratrę

fratre se gerens regnum sibi usurpavit per septem mēses. Eo interfecto regnum obtinuit

Darius Hystaspis.

Xerxes Magnus.

Artaxerxes ὁ μακρόχειρ.

Xerxes junior, regnavit tātùm quadraginta quinq; diebus.

Darius Nothus, qui etiam rex Assyriæ dicitur. Ezr.6.v.22. *Denique celebrarunt festum azymorum septem dieb.cum lætitia:quoniā exhilaraverat eos Jehoua, & converterat animum Regis Assyriæ erga eos, ad confirmandum manus eorum in opere domus Dei, Dei Israēlis.* Quod observādum diligenter, ut intelligatur quàm infirma sit ratiocinatio eorum qui sic argumentantur: Reges Babylonij Merodach & Nebucadnetzar dicūtur Reges Assyriæ:Ergo Monarchia Babyloniorum fuit Monarchia Assyriorum. Pari enim ratione sic argumētari ex hoc Ezrę loco licebit : Rex Persarum Darius vocatur rex Assyriæ : Ergo Monarchia Persarum fuit Monarchia Assyriorum.

Artaxerxes ὁ μνήμων.

Darius Ochus.

Arses.

Darius Codomannus vel Cadmonæus.

TERTIUM REGNUM in statua Nebucadnetzari oblata repræsentatum ventre & lateribus ex ære, fuit Alexādri Magni & filiorum ejus Herculis & Alexandri tāquam laterum.

Hoc etiam alio metallo significatum fuit,

quàm superius & quod ex superiore non generatur nec cum eo cognationem habet, ut ostenderetur, aliam familiam ex alio populo & non ex Persis oriundam tertio loco totam illam terram quam Nebucadnetzar tum obtinebat possessuram. Ære verò tertium istud regnum repræsentatum fuit: quia inter omnia metalla æs vocalius est & tinnit clariùs & sonitus ejus longè lateq; diffunditur sed citò desinit, ut non solùm potentia, sed etiam fama regni à Græcis scriptoribus celebrandi, simul & brevitas designaretur; Nam Alexander Magnus instar soni seu tinnitus provincias quas Persæ post Babylonios possederant pervasit subitò, sed non diutiùs regnavit in illa Monarchia quàm septennium: ipso in flore virilis ætatis per ebrietatem pereûte, & filiis ejus Hercule & Alexandro in infantia statim exstinctis à tutoribus perfidis, sic ut monarchia Alexandri ad posteros ejus non pervenerit. Ita quod citò factum erat, citò periit & instar soni æris tinnientis evanuit.

Cæterùm non sine causa tertium regnum ventre figuratum fuit. Nam Deus ostendere voluit, Alexandrum Magnum occupatâ Monarchiâ Persicâ mores mutaturum & ex strenuo heroë ventrem evasurum. Nam ventri se totum dedidit, indulgens luxui: certamina ebrietatis instituit: Clitum & Parmenionem amicos fidissimos & in omnibus expeditionibus utilissimos ebrius interfecit: tandem à Thessalo

Thessalo Medio exceptus convivio dum in honorem Herculis magnum vini poculum ebibit, febrim sibi accendit quâ interiit. Ita victor tot Gentium, vino victus & exstinctus est.

Regnum Alexandri Ecclesię Dei perniciosum admodum ac non aureum, non argenteum, sed verè æneum fuit, quia Alexander Magnus templum in monte Garizim exstrui permisit contra templum Jerosolymorum: quo dissidio Ecclesia Dei gravius & diutius afflicta est quàm ulla clade bellica vel bonorum terrenorum jacturâ: ut spiritualia mala graviora sunt corporalibus. Quid potest gravius Ecclesiæ Dei accidere, quàm si templum contra templum Dei, altare cõtra altare Dei erigatur? Malum illud adhuc tempore Christi duravit ut ex historia Euangelica patet, maximè ex capite quarto Johannis. Quapropter etiam status Ecclesię sub Alexandri Magni regno non aureus, non argenteus, sed æneus fuit.

QUARTUM REGNUM in statua illa Nebucadnetzari repræsentatum fuit per crura ex ferro, & pedes partim ex ferro, partim ex luto constantes.

Hoc similiter alio metallo significatum quàm superiùs, & quod ex superiore metallo non generatur; nec enim ferrum fit ex ære: ut ostenderetur, alias familias & non junctas sanguine Alexandro Magno, regnum obten-

turas & inter se divisuras. Viliore metallo repræsentatũ fuit, ut humiliores familiæ quàm Alexandri Magni fuit illo designarẽtur. Duobus cruribus & pedibus duobus repræsentatum fuit, ut ostenderetur duas familias tandem divisuras inter se regnũ illud quod Nebucadnetzar habuerat. Regnum quidem Alexandri Magni totum in quatuor partes distractum fuit: sed in visione hac ostenditur in duo tantùm crura divisum, quia agitur in visione hac de illa solùm terra, quam Nebucadnetzar Magnus obtinuit, & in qua Ecclesia Dei fuit. Nebucadnetzar autẽ Macedoniam & alias regiones quas alii Satrapæ Alexandri Magni ad se rapuerunt, præter Lagidas & Seleucidas, non possedit, neq; in illis Ecclesia Judaica fuit, aut ab illis quicquam passa est.

Illa igitur duo crura, sunt regnum Seleucidarum & regnum Lagidarum, qui eodem tempore obtinuerunt Monarchiam divisâ inter se totâ illa terra quam primò Nebucadnetzar possederat & post eum Persæ, & post hos Alexander Magnus.

Seleucidæ fuerunt Reges Asiæ & Syriæ: Lagidæ fuerunt Reges Ægypti.

Hoc autem quartum regnum fuisse Seleucidarum & Lagidarum ex sequentibus argumentis manifestum est.

1. quia illud Spiritus Sanctus in aliis visionibus Danielis, in quibus de eodem regno quarto prædictum fuit, interpretatur de regno

gno Ducum Alexandri Magni, veluti Daniel 7. & 8. & 11. & 12. Eadem enim regna quę obscuriùs Nebucadnetzari adumbrata fuerant, Danieli clariorem eorum explicationem desideranti à Deo, postea manifestiùs ostensa sunt: ità ut septimum, octavum, undecimum & duodecimum Danielis caput sint verisimus & certissimus commentarius statuę Nebucadnetzaris. Quin nominatim quartum regnum Danieli omnium prolixissimè explicatum est, quia illius cognitionem in primis desideraverat.

Judæi veteres ipsimet de Seleucid. & Lagid. interpretantur. Item Theodoretus fatetur alios ante ipsum de Seleucidis & Lagidis accepisse.

II. quia regnum quartum statim tertio regno debuit succedere in eadem terra quæ Nebucadnetzari Magno paruerat: Nullum autem regnum tertio illi illico successit in terra illa quam Nebucadnetzar habuerat, quàm Seleucidarum & Lagidarum: ut sacra & Gentilis historia testatur. Romana autem Monarchia demum ducẽtis & septuaginta quinque annis circiter post Alexandri Magni interitum cœpit; juxta supputationem Chronologicam Abrahami Bucholceri.

III. quia regnum quartum ante Messiæ in carnem advẽtum immanem crudelitatem in Ecclesiam Dei exercere debuit, ut docet v. 40. cap. secundi & cap. 7. à vers. 7. vsque ad finem capitis, caput item octavum & undecimum. Jam regnum Seleucidarum & Lagidarum, omnium verò maximè Seleucidarum regnum id fecit, ut historia Machabæorum

testatur. Ab his duobus cruribus ferreis inhumaniter calcata fuit Ecclesia Dei. Nam dum illa de Iudææ & Syriæ possessione litigant, bella alia ex aliis serũt, ita ut miserabiliter contrita fuerit Ecclesia, quæ & religionis divinæ exercitio privata fuit & lanienam crudelissimam perpessa est, cui propterea regnum illud quartum verè ferreum fuit ac proinde etiam status Ecclesiæ non ampliùs aureus, nec argenteus, imò ne quidem æneus, sed ferreus fuit. Romana autem Monarchia ante Christi in carnem adventum Ecclesiam Dei non oppressit, sed adjuvit & αὐτονομίαν religionis ei concessit conservavitq;.

IV. quia regnum quartum statim in duo crura esse divisum debuit inde ab initio suo, ut ex v. 41. cap. 2. & aliis capitibus paulò antè citatis liquet, maximè ex capitis undecimi versu quinto. Hoc de regno Seleucidarum & Lagidarum post regnum Alexãdri Magni orto certum est: de Romana verò Monarchia falsum. Nam quod alii de duobus Consulibus simul rempubl. Romanam administrantibus, alii de diuisione imperii à Constantino Magno facta, alii deniq; de Orientis & Occidentis imperio excipiunt, plusquàm dilutum est. Nam primò Consulum gubernatio non erat Monarchia, non regnum. Deinde ante Constantinum Magnum interdũ simul plures Imperatores fuerũt, ut M. Antoninus Pius, Verissimus Pii nativus filius & Lucius Philoso-

phus

phus Pij adoptivus filius, ad quos Justinus Martyr Apologiam secundam pro Christianis scripsit. Simul Imperatores fuerunt Pupienus, Balbinus & Gordianus electi contra Julium Maximinum Thracem. Eodem etiam tempore Imperatores fuerunt, Carus, Numerianus & Carinus. Simul etiá regnarunt Diocletianus, Maximianus Herculeus, Galerius & Constantius Chlorus. Et quum Diocletianus & Maximianus deposuissent imperium, simul regnarunt Constantius Chlorus, Galerius, Severus, Maximinus seu Maximianus filius sororis Galerii, Licinius, quib. postea accessit Constátinus Magnus mortuo Constantio Chloro patre. Constantino Magno mortuo tres filii ejus simul Imperatores fuerunt, postea duo, tandem ad unum rediit imperium. Deniq; Orientis & Occidentis imperium dictum fuit cùm plures quàm duo simul regnarent.

v. quia regnum quartum eo quòd divisum futurum erat & mutuis bellis se petiturum; pace & amicitiâ coalescere debuit per connubia, sed frustra. Id de regno Seleucidarum & Lagidarum certissimum est. Nam inter Seleucidas & Lagidas, qui terram quam Nebucadnetzar possederat divisam tenuerunt, bella gravia intercesserunt: & unio atq; amicitia sæpè tentata, & quæsita per connubia veluti Laodices & Berenices filiarũ Ptolemæi Philadelphi cum Antiocho Theo Re-

ge Syriæ junctarum: sed Laodice maritum interfecit & mox Berenicen cum infantulo, quo facto Ptolemeus Euergetes Philadelphi filius ulturus mortem Berenices sororis, ingressus est in Syriam cum exercitu & Babylonẽ usq; pervenit & de Laodice sumsit supplicium ut apertiùs prædixit Angelus Daniel 11.v.6. interpretem agens v.43. cap.2. Eventum refert Appianus libro de bellis Syriacis paginâ octogesimâ editionis Frobenianę Anni 1554. Ita majora bella post Berenices mortem secuta & familia Seleucidarum admodũ perturbata. Deinde Antiochus Magnus Cleopatram filiam suam elocavit Ptolemæo Epiphani Regi Ægypti, datâ ei humili Syriâ & Samariâ & Judæâ & Phænice in dotem: sed pacta non diu servata, pax nulla firmata. De quo conjugio itidẽ prædixit Angelus Dan. 11. v. 17. Eventum recitat Livius lib. quinto Decadis quartæ: & Flavius Josephus libro duodecimo Antiquitatum Judaicarum, capite tertio. Ad hæc Cleopatra Ptolemei Philometoris filia primò nupta fuit Alexandro filio Antiochi Epiphanis 1. Mach. 10. Fl. Joseph. lib. decimo tertio Antiquit. Judaicar. cap. quinto, deinde à patre Ptolemeo data fuit in uxorem Demetrio Nicatori vel Nicanori Syrię Regi. Joseph. lib. decimo tertio Antiquit. Judaicarum cap. 7. sed illa maritum sustulit, ut refert Appianus libro de bellis Syriacis paginâ octogesimâ octavâ, & fratri ejus Antio-

Antiocho nupsit qui suimet ipsius percussor fuit.

Quod nonnulli excipiunt, innui hîc à Daniele conjugium juliæ filiæ julii Cæsaris cum Pompejo Magno, mirum est potuisse cuiquâ in mentem venire, cùm juliâ nuptâ Pompejo Magno, Romæ non fuerit Monarchia, eaq; demum cœperit annis sex post obitum juliæ & post interfectum Pompejum Magnum.

VI. quia veteres scriptores quidam antè Theodoretum regnum quartum de Seleucidarum & Lagidarum regno interpretantur, ut fatetur Theodoretus ipsemet Commentariis in Danielem ubi simul addit eos docuisse, testam cum ferro conjunctam, denotasse alios ex Seleucidis & Lagidis imbecilliùs, alios admodum viriliter regno potituros.

Ex his omnibus manifestum esse cuivis potest, regnum hoc quartum Seleucidarum & Lagidarum esse, & non Romanorum: Unde & istud sequitur, non fuisse Danieli propositum in hoc vaticinio agere de quatuor summis monarchiis quæ usq; ad finem mundi futuræ in mundo erant: sed tantùm de iis regnis quatuor quæ usq; ad Messiæ adventum in carnem futura erant in terra illa quàm Nebucadnetzar Magnus imperio suo tenuit, ut satisfieret Nebucadnetzari sollicitè cogitanti quid de suo regno futurum esset, & ut Ecclesia Dei disceret qualia fata ipsa esset sub diversis regnis perpessura usq; ad adventũ Re-

gis Meſsiæ, qui regnum in toto orbe erat erecturus, atque inde adverſus calamitates certam conſolationem haberet.

Concludimus igitur, à Daniele prędictum fuiſſe, Meſsiam naſciturum deſtructis penitus quatuor illis regnis quæ Nebucadnetzari Magno in ſtatua per materiam quadruplicem, ſeu metalla quatuor diverſa adumbrata fuerunt.

Id eventus comprobavit; quia rex Meſsias natus eſt imperāte Cæſare Auguſto, ut teſtatur Lucas cap. 2. v. 1. & ſequentibus, anno imperii ejus 42, viginti octo annis poſt deſtructum regnum Lagidarum in Ægypto, cùm regnum Seleucidarum à Pompejo Magno in nihilum redactum jam antea fuiſſet. Propterea Chriſto naſcente, Syriam & Iudæam non ampliùs vel Seleucidæ vel Lagidæ tenuerūt, ſed Herodes Matth. 2. verſ. 1. idque beneficio Romanorum.

Hactenus declarata eſt prima circumſtantia adventus Regis Meſſiæ in carnem: ſequitur ſecunda.

SECUNDA circumſtantia adventus Chriſti in carnem quæ in hoc vaticinio indicatur, eſt, QUO MODO *Chriſtus naſci debuerit?* Prædixit Daniel, Chriſtum miraculosè prorſus naſciturum, præter rerum ſeriem, præter naturæ ordinem. Sic enim ait; *vidiſti uſq; dum excisus*

sus est lapis qui non est in ullis manibus, seu, absq; manibus, v. 34 & 45. *Vidisti è monte excindi lapidem, absq; manibus.* Miraculosam Messię nativitatem futuram duobus typis indicat: primus est quum dicit, *excindēdum fuisse è monte*. Qui nascitur ab aliquo cùm naturaliter nulla prolis spes esset, excindi è rupe dicitur, similitudine sumta à latumia sive lapicidina unde lapides eruuntur & effodiuntur: quemadmodum Jesai. 51. v. 1 & 2. Deus ait: *Auscultate mihi sectatores justitiæ, quærentes Jehovam, intuemini in rupē unde excisi estis, & in cavum foveæ, unde effossi estis. Intuemini in Abrahamū patrem vestrum, & in Saram quæ peperit vos: cùm unicum evocans eum, benedixerim ei, & multiplicaverim eum.* Quibus verbis confirmat fideles Israëlitas, futurū ut consolationem & salutem certò consequātur. Ut autem hoc faciliùs credant, perpendere eos jubet, ex quibus parētibus orti sint, nempe ex eis qui nunquam genuissent liberos, nisi Deus potente verbo suo tanquam malleo è rupe lapides excidisset: ac proinde ipsos qui in eodem fedĕre sint, eandem virtutem Dei ejusdem experturos. Ita mirabilis & supernaturalis generatio alicujus ex aliquo excisioni è petra comparatur: sicuti Isaac, ex quo progenerati sunt Israëlitæ, ex parentibus provectæ ætatis & in modum petræ sterilibus mirabiliter est generatus. Sic igitur Daniel prædixit, Messiam nasciturum cùm nulla propè spes ampliùs adventus ejus

futura esset humano judicio, & quidem ex eâ matre, quam si naturæ ordinem spectes, prolem gignere non posse certum erat, hoc est, ex virgine quæ virum non cognoverat. Quid est igitur: Messiam exscindi è monte, nisi eũ planè miraculoso & supernaturali modo nasci? Typus generationis hujus admirandæ & supernaturalis fuit generatio Isaaci patriarchæ qui & ipse typus Christi fuit, ut explicat Paulus Rom. 4. v. 18, 19, 20, 21. *Abrahamus cõtra spem sub spe credidit, fore ut ipse fieret pater multarum gentium, secundùm id quod ei dictum fuerat, Ita erit semen tuum. Ac minimè debilis fide non consideravit suum ipsius corpus jam emortuum quum centum circiter natus esset annos, nec emortuum uterum Saræ. Ad hanc promissionem autem Dei non addubitavit infidelitate: sed corroboravit sese fide, tributâ gloriâ Deo. Ac plenè persuasum habens, eũ quod promiserat, posse etiam facere.* Respexit autem Apostolus ad historiam Gen. 17. v. 15. & sequẽtibus, ubi Deus dixit Abrahamo: *Quòd ad Sarai uxorem tuam, ne voces nomen ejus Sarai: nam Sara nomen ejus est. Nam ita benedicam ei ut etiam dem tibi ex ea filium: ita, inquam, benedicam ei ut mater sit multarum Gentium, Reges populorum ex ea futuri sunt. Tum procidens Abraham super faciẽ suam risit* scil. præ gaudio quo perfusus fuit promissione divina, sic ut risus Abrahami nõ fuerit signum incredulitatis vel dubitationis, sicuti risus Saræ qui reprehenditur, sed lætitiæ ingentis: *dixitq; Abraham in corde suo. an nato centum*

centum annos nascetur proles? an etiam Saræ? an nata nonaginta annos pariet? Quod gaudiũ admirantis fuit, non diffidentiâ dubitantis, ut rectè interpretatur Augustinus tomo sexto, libro secundo contra adversarium Legis & Prophetarum, capite quarto.

Quocirca admirabilis & supernaturalis procreatio Isaaci typus fuit summè admirandæ & profectò naturæ ordinem superantis nativitatis Christi. Hæc causa est, cur Isaac è rupe excisus dicatur, & cur Messiam è monte exscindendum Daniel prædixerit.

Secundus typus quo admirabilis & supernaturalis nativitas Messiæ significatur, hic est, quòd lapis *sine manibus excisus fuerit*, hoc est, quòd ex sola & pura virgine quæ virum non cognitura erat, nasci debuerit. Per *manus* enim opus humanũ significatur usitatâ Scripturæ Sacræ phrasi. Ut res miranda est, si ex solida petra lapis exscindatur, non operantibus humanis manibus, hoc est, virorum illorum qui solent lapides cædere: ita etiam verè stupendum opus est quòd Christus secundùm carnem ex Virgine sine consuetudine maritali, sine virili semine concipi & nasci debuit. Sic verba hæc interpretatur Justinus Martyr Dialogo cum Tryphone Judæo, & Irenæus Martyr lib. tertio adversus hæreses, capite vigesimo octavo, & alii patres suprà citati. Apertiùs verò id ipsum prædictum fuit Jesai. 7. vers. 14. *Ecce virgo concipiet & pariet Fi-*

lium & vocabit nomen ejus Immanuelem.

AMBROSIUS Sermone septuagesimo, paulò aliter hęc verba vertit & interpretatur: *Mons de monte sine manibus concidentium, hoc est, Filius de Patre, absq; ullius creationis accessu.* q.d. Filium Dei esse genitum ex Patre sine manibus, hoc est, non per aliquam creationem vel effectionem. Sed supposititii sunt sermones illi qui Ambrosio tribuuntur: nihil enim Ambrosianæ venæ & gravitatis habent.

HYPPOLITUS Martyr, quia hæc verba Danielis de secundo Christi adventu exponit, illud, *sine manibus*, significare dicit: Secundum Christi adventum fore improvisum & repentinum hominibus, quos non opinantes & incautos opprimet. Verùm non est ista sententia verborum Danielis, qui non de ultimo adventu Christi in hoc vaticinio agit, sed de primo visibili adventu nempe in carnem ut suprà demonstratum.

Alii verbis illis, *sine manibus*, indicari putât, Filium Dei missum esse à Patre & de cælo descendisse in terras sine manibus, hoc est, sine ullis hominum meritis secundùm illud quod Paulus scribit Tit. 3. v. 4. & 5. *Postquam bonitas & erga homines amor apparuit Servatoris nostri Dei, Non ex operibus justis quæ fecerimus nos, sed ex sua misericordia servavit nos per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti.* Sed nec ista interpretatio huic loco quadrat. Alii aliter interpretantur.

Nobis

Nobis prima interpretatio probatur, nempe significatam esse per excisionem lapidis sine manibus, generationem Christi quò ad carnem sine viri concubitu. Nec insueta est Scripturæ hæc loquendi ratio, ut ex cap. 51. Jesaiæ liquet. Quomodo etiam Paul. 2. Cor. 5. v. 1. Corpus quod post resurrectionem ex mortuis consecuturi sumus, vocat *domicilium non manu factum.*

USUS.

Discimus hinc. 1. Deo nihil esse impossibile, etiamsi ordo naturæ repugnare videatur: Oportere potiùs naturæ ordinem miraculosè mutari, quàm divinum consilium impediri. Ita oportuit Regem Messiæ nasci, idq; non sine stupendo miraculo, non secus ac si lapis è petra solida sine manibus humanis excisus fuisset.

II. In magna etiam clade & raritate piorum, minimè esse spem abjiciendam, sed confidendum providentiæ divinæ, quę etiam ex lapidibus excitare liberos Abrahamo posset, ut Johannes Baptista ait Matth. 3. v. 9.

III. Novè nasci debuisse novæ nativitatis dedicatorem Christum.

Hæc de secunda circumstantia.

TERTIA circumstantia nativitatis Christi in hoc vaticinio Prophetico est; QUALI STATU *nasci Christus debuerit?* Resp. Humili, vili & contemto: unde nō auro comparatur,

ut Nebucadnetzar: non argento ut Medi & Persæ: non æri, ut Alexander magnus: ac ne ferro quidem ut Seleucidæ & Lagidæ: sed lapidi parvo & nullius pretii in hominum conspectu. Christus parvus lapis fuit propter assumtam humanitatem, quę Deitatis comparatione parvum quiddam est. Parvus lapis fuit propter nativitatem humilem, quum ne quidem in diversorio locus ei fuerit, sed in stabulo natus & in præsepi reclinatus sit. Luc. 2. v. 7. Parvus lapis fuit propter paupertatem quam loco nostro sustinuit, & humilem educationem, & totius vitæ in his terris conversationem. Parvus lapis fuit in oculis superborum Judæorum, quòd matre tenuissimæ sortis natus fuit, quòd propinquos secundùm carnem pauperes habuit: nam cùm veniſſet in patriam suam dicebant cives ejus, *Unde huic sapientia ista & virtutes? Non'ne iste est ille fabri filius? Non'ne mater eius dicitur Maria, & fratres eius Jacobus & Joses & Simon & Judas? Et sorores ejus non'ne omnes apud nos sunt? unde igitur isti hæc omnia? Et offendebantur in eo*, ut legitur Matth. 13. v. 54. & sequentibus. Parvus fuit, quia in parva Judęorum regione præsentiam suam declarare & solis Judæis ipse prædicare voluit, parvumq; sibi adjunxit discipulorum numerum, quem ipse pusillum gregem vocat Luc. 12. v. 32. Denique parvus lapis fuit propter ignominiá quam in passione & morte est perpessus. *Hic est lapis ille pro nihilo*

nihilo habitus ab ædificantibus, qui factus est caput anguli, ut dicitur Psal. 118. v. 20. Matth. 21. 42. Actor. 4. v. 11. Hic est lapis ille de quo Jesai. 28. 16. *Ecce ego fundamẽtum posui in Tzijone lapidem; lapidem probatum, angularem, pretiosum, &c.* Hic est lapis ille de quo Jehova exercituum ait Zachar. 3. v. 8 & 9. *Ecce ego adducturus sum servum meum,* GERMEN. *Nam ecce lapis ille est quem pono coram Jehoschuha, apponens lapidi unico septem oculos: ecce ego sculpturus sum sculpturam ejus, dicit Jehova exercituum, & amoturus iniquitatem terræ istius die uno.* Oculi hîc significant scientiam: septenarius autem numerus universitatem & perfectionem, ut intelligamus, in Christo absconditos esse omnes thesauros sapientiæ & scientiæ, &c. Hujus lapidis figura fuit lapis ille, super quo dormiens Jacob admirandam illam scalam in somno vidit Gen. 28. & ille lapis, cui Moses insedit & manus sustulit præliantibus Israëlitis contra Amalechitas donec Israëlitæ victoriam de Amalecitis obtinuissent, Exod. 17. 12. Lapis etiam ille ex quo virgâ percusso, largissima aquarum copia ad potandum populum Israëliticum emanavit Num. 20. Nec non & ille lapis, super quo Moses à Deo positus Dei transeũtis posteriora videre potuit Exod 33. 21. Deniq; lapis, quo David superbum illum gigantem Goliathum percussit, prostravit, interemit 1. Sam. 17.

Similitudo autem & appellatio lapidis pul

chrō Christo cōvenit: ratione tum *ipsius Christi*, tum *diaboli*, tū *Ecclesiæ*, tum *hominum impiorū*.

Respectu ipsius Christi propter vilitatem ejus in oculis hominum: ipse enim est lapis quem reprobaverunt ædificantes: sicut lapis communis pro re vili habetur. Propter animi humilitatem & demissionē, de qua dicit Matth. 11.v.29. *Discite à me quia mitis sum & humilis corde:* Non fuit per superbiam exaltatum cor ejus: sicut lapis ad humilia loca naturaliter descendit & in illis conquiescit. Propter soliditatem quâ consistit in æternum. Non enim potest confringi vi ulla.

Ratione diaboli appellatur lapis propter robur quo diabolū percussit, & imperio, quod in homines habebat, spoliavit.

Ratione Ecclesiæ dicitur lapis, propter firmitatem quâ sustentat Ecclesiam quæ in ipso ædificata est, sic ut illa nullo unquam tempore, nullaq; vi ne quidem à portis inferorum labefactari & everti possit. Tum propter refugiū & præsidium quod præbet fidelibus. Ipse enim est lapis ad quem cōfugiunt pii, & in quo consistunt ne turbinibus vel undis rerum adversarum & tentationum abripiātur. Ipse est lapis in quo cum Jacobo Patriarcha quietem animabus suis inveniunt, in quo acquiescentes vident & agnoscunt Christum esse scalam è terra cælum contingētem, quâ & ipsi in cælum conscendant. Ipse est lapis cui pij insidēt & manus attollunt donec victoriam de hostibus

bus obtineant. Ipse est lapis qui effundit ex se aquam illam vivam, salientem in vitam æternam ad potandos fideles. Ipse est lapis super quo consistentes & in cujus cavitate à Deo positi cũ Mose posteriora Dei videmus, quia Deum nemo agnoscit nisi in Christo & per Christum. Ipse est lapis cujus contactu per fidem ex casu nostro tristissimo consurgimus, ut dicitur Luc. 2. 34. *Ecce positus est ille in resurrectionem multorum in Israël.* Ipse est lapis cujus robore infernalem Goliathum prosternimus & superamus. Ac in summa, *ipse est lapis ille positus in Sione in imo angulo, electus, pretiosus, in quẽ qui credit, nunquam pudefiet. Vobis igitur est honori qui creditis,* ait Petrus, 1. epist. 2. 6. & 7.

Ratione denig; hominum infidelium lapis est offensionis & petra scandali Iesai. 8. v. 14. Luc. 2. 34. *Ecce positus est iste in casum multorum in Israel.* Rom. 9. v. 31, 32, 33. *Israel qui sectabatur Legem justitiæ, ad Legem justitiæ non peruenit. Quare? Quia non ex Fide, sed velut ex operibus Legis: offenderunt enim ad lapidem offendiculi. Quemadmodum scriptum est: Ecce pono in Sion lapidem ad quem impingitur & petram offendiculi,* &c. Et quemadmodum dicitur 1. Petr. 2. 7. & 8. *Immorigeris est lapis quem reprobaverunt ædificantes, qui factus est caput anguli, & lapis ad quem impingitur, & petra offendiculi: Nempe iis qui offendunt ad sermonem immorigeri, ad quod etiam positi fuerant.*

Lapidis igitur similitudo, Christi humanitatem indicat, officium declarat, robur expli

cat, fideles solatur, infidelibus terrori, omnibus cautioni est.

Tantum de tertia circumstantia Nativitatis Christi in hoc vaticinio Danielis.

QUARTA circumstantia est, *Ex quo populo Messias nasci debuerit?* RESP. Ex Judaico, qui tum vera Ecclesia Dei erat. Hoc indicavit Daniel cùm dixit, *è monte excisum esse lapidem sine manibus.* Hic est mons ille de quo Psal. 2. v. 6. *Ego inungens Regem meum præfeci Tzioni monti sanctitatis meæ.* Et Psal. 15. v. 1. *Jehova quis commoraturus est in tentorio tuo? quis habitaturus in monte sanctitatis tuæ?* Hic est mons ille de quo Psal. 68. v. 17. *Hunc montem desiderat Deus ad sedem suam, etiam Jehova inhabitabit in æternum.* Jesai. 2. v. 2. *Erit ergo ultimis temporibus, ubi constitutus fuerit mons domus Jehovæ in vertice aliorũ montium, & elatus supra colles; ut confluant ad eũ omnes gentes.* Quid est igitur aliud *è monte excisus est?* nisi quòd è populo Judaico natus est secundùm carnẽ? sicut Paulus de Judęis ait Rom. 9. v. 4. & 5. *Qui sunt Israëlitæ: quorum est adoptio, & gloria, & fœdera, & Legis constitutio, & cultus & promissiones: Quorum sunt patres & ex quibus est Christus quod ad carnem attinet, qui est supra omnes Deus laudandus in sęcula, Amen.* Hinc Christus appellatur *Leo ille ex tribu Juda, stirps illa Davidis.* Apocal. 5. v. 5. Et quia Judaicus populus tunc Ecclesia Dei erat, comparatur mulieri

lieri prægnanti *quæ peperit Filium masculum, rectorum omnes gentes virgâ ferreâ : quia Filius ejus raptus est ad Deum & thronum ejus.* Apocal. 12. v. 1. & sequentibus. Maria enim mater Christi ex populo judaico erat.

Pererius per montẽ è quo excisus est Christus intelligit Mariam Virginem, & montem dici contendit propter singularem omnium virtutum excellentiam, quarũ tanta est sublimitas, ut quod est summum & celsissimum in virtutibus aliorum sanctorum, id comparatione virtutũ beatæ Virginis, sit infimum. Quapropter addit, non incongruè de beata virgine dici posse quod est in Psalmo octogesimo sexto. *Fundamenta ejus in montibus sanctis.* Etenim Deipara virgo verticem & culmen perfectionis sanctorum habet, tanquam fundamentum perfectionis & sanctitatis suæ. *Considera*, inquit Pererius, *quàm sublime sit fastigium hujus virginis, cujus fundamenta, super culmina sanctorum locata sunt ? Hic est ille mons, de quo figuratè cecinit David Psal. 67. Mons pinguis, mons coagulatus, mons in quo beneplacitum est Domino habitare in eo: etenim Dominus habitabit in finem.* Hactenus sententia Pererii, quam breviter considerabimus. Nos primùm credimus, Jesum Christum Dominum nostrum natum esse ex Maria Virgine: & illam dicimus cum Angelo Gabriele, esse benedictam inter mulieres Luc. 1. 28. quod & Elizabet mater Johannis Baptistę de ea pronunciavit Luc. 1.

v.42. Agnoscimus Virginem Mariam esse matrem Domini nostri: prædicamus etiam illam beatam & prædicari per omnes ætates debere statuimus, secundùm illud quod ipsa per Spiritum Sanctum prædixit, *Ecce ex hoc tempore beatam me prædicabunt omnes generationes: Quia magnificè mecum egit potens ille, cujus sanctum est nomen.* Luc. 1. 48,49. Agnoscimus etiam, Virginem Mariam gratiâ dotibusq; insignem præ cæteris mulieribus, imò & viris sanctis extitisse. Verùm hyperbolicas illas laudes, quas Papistæ ei adscribunt, tribuere ei nobis religio est: quia illas nec Scriptura Sacra ei tribuit, nec ipsa beata Virgo agnosceret, imò meritò molestissimè ferret & aversaretur, si dari sibi ab hominibus audiret. *Adverte, quod beatam se esse dicat, non proprio merito atq; virtute, sed Dei in se habitantis clementiâ*, ait Hieronymus tomo secundo, libro primo adversus Pelagianos, paginâ ducentesimâ septuagesimâ primâ, Editionis Frobenianæ Anni 1525. EPIPHANIUS verò qui floruit circa annum Christi 380, σύγχρονος Hilarii, Ambrosii, Hieronymi contra hæreses libro tertio, tomo secundo contra Collyridianos hæres. 79. paginâ quadrigentesimâ quadragesimâ septimâ Editionis Græcæ Hervagianæ Anni 1544. sic de illa scribit, ut Latinam versionem proferamus. *Revera sanctum erat corpus Mariæ, non tamen Deus: revera virgo erat ipsa Virgo & honorata; sed non ad adorationem nobis data, sed ipsa adoran-*

rans eum, qui ex ipsa, carne genitus est; de cælis verò ex sinibus paternis accessit. Et propterea Euangeliũ munit nos, dicens, quòd ipse Dominus dixerit: Quid mihi & tibi est mulier? nondum venit hora mea: quò non putarent aliqui magis eximiam esse sanctam Virginem, mulierem eam appellavit; velut prophetans quæ futura essent in terra, sectarum & hæresium gratiâ: ut ne aliqui nimium admirati sanctam, in hanc hæresim eiusq; deliramenta delabantur. Est enim ludibrium tota res & anicularum fabula, ut ita dicam, tota hæresis tractatio. Quæ verò Scriptura de hoc narravit? Quis Prophetarum præcipit hominem adorari, nedum mulierem? Eximium equidem est vas, sed mulier, & nihil à natura immutata: verùm & intellectu & sensu in honore honorata: velut corpora sanctorum & si quid aliud ad glorificationem dixerim, sicut Elias, ex matre virgo & sic manens in perpetuum [scilicet Elias, ipsum enim dicit virginem mãsisse ut Græca verba indicant, καὶ οὕτω μένων εἰς τὸ διηνεκές] & translatus & mortem non conspicatus: sicut Johannes qui super pectus Domini recubuit quẽ diligebat Jesus: sicut Electa Sancta. Et Maria adhuc honoratior hac est, propter dispensationem mysterii, quâ digna facta est. Sed neq; Elias adorandus est, etiamsi in vivis, sed neq; Johannes adorandus, quanquam per preces suas proprias, dormitionem suam admirandam effecerit, imò potiùs ex Deo gratiam acceperit. Sed neque Thecla, neque quisquam sanctus adoratur. Non enim dominabitur nobis anti-

Joh. 2. v. 4.

quus error, ut relinquamus viventem, & adoremus ea quæ ab ipso facta sunt. Coluerunt enim & adoraverunt creaturam præter creatorem & stulti facti sunt. Si enim Angelos adorari non vult, quanto magis eam (scil. adorari non vult) quæ genita est ab Anna, quæ ex Joachim donata est Annæ, &c. Et paulò pòst. Carnem induit Deus Verbum ex sancta Virgine: non tamen ut adoretur Virgo, neque ut Deum hanc efficeret: non ut in nomen ipsius offeramus: non ut post tot secula mulieres sacerdotes ac sacrificulas ostenderet. Non complacuit hoc Deo in Salome fieri: non in Maria. Non permisit ipsam dare baptisma, non consecrare discipulos, non imperare in terra jussit, sed solùm ipsam sanctificationem esse & dignam factam esse regno ipsius, &c. Rursus paulò pòst. Sit in honore Maria: Pater & Filius & Sanctus adoretur: MARIAM NEMO ADORET non dico mulierem, imò neq; virum, Deo debetur hoc mysterium. Neq; Angeli capiunt talem glorificationē. Deleantur quæ malè scripta sunt in corde deceptorum. Tollatur ex oculis cupiditas ligni: cōvertatur rursus figmentum ad Dominum; revertatur Eva cum Adam, ut Deum colat solū, ne ducatur serpentis voce, sed permaneat in Dei præcepto, Ne comedat de ligno: & erat lignum, non error, sed per ipsum lignum facta est inobedientia erroris. Ne comedat quis de errore, qui est propter sanctam Mariam. Nam etsi pulchrum est lignum, sed tamen non ad cibum: Etsi pulcherrima est Maria, & sancta, & honorata; at non ad adorationem. Hæ verò rursus renovant fortunæ misturam, & præparant diabolo & non

non Deo mensam, velut scriptum est, Et pascuntur cibo impietatis, velut dicit divina Scriptura, Et feminæ ferunt pollinem, & filii colligunt ligna ut faciãt placentas oleo subactas exercitui cæli. Compescantur à Jeremia tales mulieres & ne turbent orbem terrarum, ne dicant, Honoramus reginam cæli, &c. Et mox: *Sive enim veluti ipsam adorantes Mariam ipsi offerunt collyridem sive placentã, vanæ istæ mulieres, sive pro ipsa offerre conantur prædictam hanc putidam oblationem, tota res stolida est, & aliena, & ex dæmonum motu fraus & impostura. Quò verò non longiùs extendam sermonem, sufficient nobis relata. Maria in honore sit: Dominus adoretur.* Hactenus Epiphanius qui jam ante mille ducentos annos adorationem Mariæ damnavit. Jerem. 7. v. 17.

Cæterùm Mariam virginem, si *naturam* spectes esse conceptam & natam in peccato, quum modo communi & naturali ex virili semini concepta fuerit, affirmamus: sin verò *gratiam Dei* consideres, donatâ quidem & infusâ illi justitiâ ac sanctitate, pro regenerationis mensura, fidelibus aliis disparem ac superiorem fuisse cõcedimus: sed imputatâ Christi justitiâ & sanctitate, quâ sola salutem æternam ipsa quoq; consecuta, aliis fidelibus parem exstitisse asserimus. Mater enim Domini non sibi inhærente propriâ justitiâ, sed Filii sui obedientiâ & justitiâ servata est, sicut alii fideles.

Porrò Pererius ut probet Mariam Virginem montem dici & sanctitate omnes alios

sanctiſsimos homines altiſsimè ſuperare, duo teſtimonia allegat, Primũ eſt ex Pſal. 86. juxta vulgatam ſupputationem, ſed 87. juxta Hebræam, his verbis: *Fundamenta ejus in montibus ſanctis:* Atqui hoc non de Virgine Maria, ſed de civitate Dei dicitur: nam Deus volens ædificare habitationem firmam & ſtabilem nomini ſuo, elegerat montes Cananæos in quibus ſita erant Jeroſolyma, quos ſanctificaverat ut in illis cultus ipſius exerceretur: ſic ut pronomen *ejus* nõ ad Mariam, ſed ad civitatem Dei referri debeat. Nam non Mariæ, ſed civitatis Dei fuit illa *fundatio*, hoc eſt, civitas Dei & habitatio fundata fuit in montibus ſanctis: ut ex verſibus ſequentibus apertè liquet; *Diligit Jehova portas Tzijonis, ſuprà quàm ulla tabernacula Jacobi: Honorificentiſsima ſunt quæcunq; prædicantur de te, ô civitas Dei Sela.* Civitas autem illa typus erat Eccleſiæ Dei. Singulari etiã numero in Hebræo textu dicitur יְסוֹדָתוֹ, hoc eſt, *fundatio ejus.* Quapropter his verbis Pſalmi, non Mariæ, ſed civitatis Dei, ac proinde Eccleſiæ laudes prędicãtur, quòd illam Deus fundaverit in montibus ſanctis, quòd illam Deus diligat, præ aliis tabernaculis Jacobi, quòd de ea nihil prædicetur quin ſit honorificentiſsimum. Ita Auguſtinus interpretatur tomo octavo in Enarratione hujus Pſalmi. *Civitas quædam in iſto Pſalmo* (inquit) *cantata & cõmendata eſt, cujus cives ſumus, inquantum*

inquantum Christiani sumus. Et paulò pòst: *Fundamenta præsertim in montibus civitatis alicujus sunt. Repletus ergo Spiritu Sancto civis iste, & multa de amore & desiderio civitatis hujus volvens secum, tanquam plura intus apud se meditatus erumpit in hoc, Fundamenta ejus in montibus sanctis.* Theodoretus in commentariis in hunc Psalmum per *fundamenta* intelligit fundamenta pietatis, divina documenta: per *montes* verò intelligit Apostolos super quos sumus superædificati. Hieronymus in Commentariis dicit, fundamenta hîc intelligi aut Dei, aut certè Ecclesiæ, eaq; fundamenta ait esse Patrem, Filium & Spiritum Sanctum. Paulò post aliter interpretatur, & per fundamenta, intelligit Apostolos. Nullus Patrum istorum ad Mariam hoc referendum censuit. Dissensio Patrum argumento est, illos non posse regulá & judices interpretationis Scripturæ esse.

Alterum testimonium est ex Psal. 67. juxta supputat. vulgatam, sed 68 juxta Hebræam, quod recitatur his verbis: *Mons pinguis, mons coagulatus, mons in quo beneplacitum est Domino habitare in eo: etenim Dominus habitabit in finem.* Sed primò vitiosa est versio: verti enim debuit: *Mons Baschanis, mons frequentibus gibbis, mons Baschanis. Quare resultatis, vel resistitis vos montes frequentes gibbis? Hunc montem desideravit Deus ad habitandum eum, etiam Jehova inhabitabit* [eum] *in æternum.* Deinde agitur de montibus in terra Canaan, in quibus montem Tzijon Deus

sibi elegerat ad habitaculum sanctum: mons autem Tzijon Ecclesiam Dei significat. Augustinus in enarratione hujus Psalmi per hũc montem intelligit Christum Dominũ. Theodoretus veram Ecclesiam Dei: Hieronymus itidem intelligit Christum Dominum, & hũc verborum Psalmi sensum esse dicit: *Non debetis existimare plures esse Ecclesias quæ habeant ubera doctrinarum & possint credentes scientiæ lacte nutrire. Una est Ecclesia, & unus Christus sponsus Ecclesiæ. In nullo enim alio inhabitabit jugiter Spiritus sanctus, nisi in Salvatore, Johanne dicente: In quem videris spiritum descendentem & manentem in eo: ipse est qui excisus sine manibus, implevit latitudinẽ omnis terræ, id est, Dominicum hominem. Etenim Dominus habitabit in finem) in corpore quod accepit de sancta Maria: quia cum eo est evectus in cælum.* Hactenus Hieronymus. Videtis nullum istorum Patrum per *montem* hunc Mariam virginem intelligere: & tamen Papistæ identidem Patres secum sentire jactitant. Satis est de hac quoq; circumstantia: restat

QUINTA & vltima, quæ est, *Ad quem finem Rex Messias nasci debuerit?* RESP. ut regnum gratiæ erigeret in toto mundo, reconcilians & uniens omnes electos per totum mundum cum Deo, cujus regni descriptio est versu 35. *Vidisti donec excisus est lapis, qui non in ullis manibus, & percussit imaginem ad pedes ipsius ferreos & testaceos, adeò ut comminueret eos. Tunc comminuta sunt pariter ferrum, testa, æs, argẽtum & aurum: fue-*

fueruntque ut gluma ex areis æstivis, ita abstulit ea ventus, & nullus locus inventus est eis: lapis autem qui percusserat imaginem, effectus est mons magnus, adeò ut impleret totam terram. Et versu quadragesimo quarto: *Suscitabit Deus cæli regnum quod in secula non destruetur, & regnum ipsum populo alieno non relinquetur: comminuet & consumet omnia illa regna, ipsum autem stabit in secula.* Descriptionis hujus aliquot sunt partes. Primò enim regni hujus rex dicitur esse lapis ille, hoc est, Christus Dominus. Nam sicut per caput aureum intelligitur Nebucadnetzar & cum eo regnum ejus & liberorum: ita per lapidem è monte excisum intelligitur Christus, sed cũ regno suo nempe Ecclesia, cujus ille est petra & fundamẽtum. Ecclesia enim Christo unione tam vera ac certa adunatur, ut Synecdoche quadam Christi nomine interdum Caput & Corpus, hoc est, Rex cum regno suo intelligatur: quemadmodum 1. Corin. 12. 12. Sic lapis Christus, lapis etiam Ecclesia Christo unita, quemadmodum Zachar. 12. 3. dicitur; *Disponam Jerosolyma velut lapidem onerosissimum omnibus populis, quo quicunq; onerant se omnino cæduntur, etiamsi congregentur contra illa omnes gẽtes terræ.* ut Christus lapis immobilis, ita Ecclesia est lapis immobilis; quicunq; eum tollere & loco suo movere volent, non solùm frustra laborabunt cùm sit ponderosus, verùm etiam seipsos lædent & perdent; quemadmodum qui lapidem nimis gravem supra vires

ſuas attollere atq; è ſuo loco auferre conatur, is nervos ſibi rumpit, membra ſua luxat, brachia frangit. Videte quantâgratiâ pertingamus ad Deum, cùm ille voluerit eſſe nobiſcũ unus, qui eſt cum Patre unus.

Deinde oſtenditur quando regnum illud gratiæ erigi in toto mundo debuerit, nempè deſtructis & in nihilum redactis regnis illis quæ per quatuor metalla repræſentata Nebucadnetzari in ſtatua fuerant. 3. Quomodo erigi debuerit? nimirum ſuſcitando illud à tenuiſsimis principiis. 4. A quo? A Deo cæli. 5. Quòd in ſecula non deſtruetur. 6. Quòd populo alieno non relinquetur. 7. Quòd comminuit & conſumſit omnia regna hoſtilia, ſed non cum obſervatione, ut ipſum nõ venit cum obſervatione. 8. Quòd ipſum ſtabit in ſecula. Quę deſcriptionis partes alibi à nobis explicatæ ſunt.

Reſtat

ἀναϰεφαλαίωσις totius ſuperioris tractationis.

Danielis capite ſecundo, verſu 34. & 35. & rurſus v. 44. & 45. eſt vaticinium de adventu regis Meſsiæ in carnem, ut contextus vaticinii oſtendit, quia regnum Chriſti poſt primũ adventum ejus creſcere, mons magnus fieri & univerſam terram implere debuit: & veteres Patres Juſtinus Martyr Dialogo cum Tryphone Judæo, Irenæus Martyr lib. 3. cap. 28. Ambro-

Ambrosius Commentar. in cap. 9. ad Romanos sub finem, Hieronymus Commentar. in cap. secund. Danielis, Augustinus Oratione contra Judæos, Paganos & Arianos, item in enarratione Psal. 98, Tractatu nono in Johannem, Tractatu 1. in epist. Johan. Theodoretus ad v. 34. & 35. Danielis 2, quin etiam Jesuitæ ipsi, ut Benedictus Pererius in cap. 2. Dan. agnoscunt.

Circumstantiæ autem adventus Christi in carnem in hoc vaticinio quinq; occurrunt.

1. Quando rex Messias nasci debuerit?
2. Quomodo?
3. Quali statu?
4. Ex quo populo?
5. Ad quem finem?

1. Nasci debuit destructis penitus quatuor illis regnis, quæ Regi Nebucadnetzari in statua repræsentata fuerunt. Etsi enim in visione omnia simul, atq; ita repræsentata fuerunt, ac si quarto regno durante lapis è monte excisus fuisset qui pedes statuę percussit & contrivit: tamen contextus plus quàm evidenter ostēdit, Prophetica phrasi dici regna illa destructa à Messia, quia propter Messiam quem hostiliter oppugnabāt, dum Ecclesiam seu regnum ejus opprimere conata sunt, divinâ providentiâ disponente, destructa sunt ante quàm Messias in carnē veniret. Nec magis Christo nascente pedes ferrei & lutei superstites fuerunt, quàm aurum, argentum &

æs (hoc est, tria prima regna) quæ itidem nō minùs lapis excisus è monte comminuit, atq; pedes ferreos & luteos. Hæc circumstantia clariùs explicatur Danielis 7. v. 11, 12, 13, 14, & rursus versu 26, 27.

Objicitur v. 44. dici, *In diebus Regum illorum suscitabit Deus cæli regnum.* RESP. Aut vertendum, Post dies Regum illorum, sicut Numer. 28. v. 26. aut phrasis ambigua rectè ex eventu & veritate historiæ explicanda, q. d. circa illa tempora cùm Regibus illis dominatus ablatus fuerit; sicut Matth. 1. v. 11. cùm dicitur, *Josias autem genuit Jechoniam & fratres ejus in transportatione illa Babylonica*, accipiendum q. d. circa tempus deportationis.

II. Quomodo Christus nasci debuerit?

Miraculosè prorsus, præter naturæ ordinem. Prædictum enim fuit eum ex monte excindi sine manibus debuisse, h. e. ex virgine nasci sine virili semine. Qui nascitur ab aliquo præter rerum seriem, cùm nulla proles sperabatur excindi è rupe dicitur. Locus similis Jes. 51. v. 1. & 2.

III. Quali statu nasci Christus debuerit?

RESP. Humili, vili, contemto: unde non auro comparatur ut Nebucadnetzar, non argento ut Persæ & Medi; non æri, ut Alexander Magnus; ac ne ferro quidem ut Seleucidæ & Lagidæ: sed lapidi parvo & nullius pretii.

tii. Hic est lapis ille quem reprobaverunt ædificantes, qui factus est caput anguli.

IV. Ex quo populo Messias nasci debuerit?

RESP. Ex Judaico, qui tum vera Ecclesia Dei erat. Hic est mons ille de quo Ies. 2. v. 2.

V. Ad quem finem nasci debuerit?

RESP. ut regnum gratiæ erigeret, reconcilians omnes electos per totum mundũ cum Deo: cujus regni descriptio v. 44. Illud regnũ hostes pati noluerunt in Judæa, sed ipsis pereuntibus & evanescentibus crevit & implevit totum terrarum orbem. Ideo dicitur comminuisse aurum, argentum, æs, ferrum, quia quatuor illa regna à quibus oppugnabatur sunt destructa, ipsum autem mansit & manebit.

Domino Jesu Regi & Messiæ nostro sit laus & gloria. Amen.

De

PASSIONE ET MORTE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI

Prælectiones habitæ ab Amando Polano Basileæ mense Martio Anno 1604.

TEXTUS petitus ex Genes. 3. v. 15.

וְאֵבָה אָשִׁית בֵּינְךָ וּבֵין הָאִשָּׁה וּבֵין
זַרְעֲךָ וּבֵין זַרְעָהּ הוּא יְשׁוּפְךָ רֹאשׁ
וְאַתָּה תְּשׁוּפֶנּוּ עָקֵב׃

Inimicitiam pono inter te & mulierem hanc, similiterque inter semen tuum & semen hujus: ipsum conteret tibi caput, tu autem conteres ipsi calcaneum.

Prima lectio die 26. Martii habita.

PRIMO jure instrumentum electum Christi, & Euangelii præco Paulus Apostolus ait 1. Cor. 2. v. 1. & 2. *Ego igitur quum venirem ad vos. fratres,*

fratres, veni non cum eminentia facundiæ aut sapientiæ, annuncians vobis testimonium Dei. Non enim statui quicquam scire inter vos nisi Jesum Christum, eumq; crucifixum. Nam quamvis opinione carnis, scientia hæc Jesu Christi crucifixi res vulgaris & vilis contemtibilisque videatur: tamen illa sufficit revera ad nos totâ vitâ nostrâ occupãdos. Nequaquam tempus perdiderimus, si studium nostrum universum impenderimus & vim intellectus omnẽ applicuerimus ad profectum in illa capessendũ. Quapropter instante anniversaria passionis & mortis Christi Servatoris nostri recordatione, fert animus dilata continuatione analyseos libri Ezechielis, more mihi recepto hac septimana prælectiones de Passione & morte Domini nostri Jesu Christi instituere.

Quemadmodum autem historiam de Nativitate Christi ex versu decimo quinto tertii capitis Genes. elapso mense Decembri declaravi: ita hoc tempore ex eodem historiam de Passione & morte Christi explicare, gratiâ Spiritus Sancti fretus, constitui: Quod ut dextrè ad gloriam Dei Patris, Filii & Spiritus Sancti, & ad communem nostram ædificationem fiat, vestrum est mecum toto pectore auxilium divinum implorare. Cæterùm hac prælectione thesin προπαρασκευαστικὴν tractabo & vobiscum perpendam, quæ hujusmodi est:

Historia de Passione & morte Domini nostri Je-

ſu Chriſti, eſt à nobis & aliis fidelibus piâ atq; religiosâ attentione meditanda.

Theſis hæc declaratione non eget, quum ſit ejus ſententia clara atq; perſpicua: proinde ſtatim ad demonſtrationem ejus accedo, quâ nos meritò perſuaderi par eſt, ut id præſtemus ſedulò, quod ſuadetur. Sæpè intelligimus quid noſtri ſit officii, quid à nobis requiratur, ſed ad faciendum illud non comparati ut decebat, ſed tardi & ſegnes ſumus. Proinde ſancto zelo expendenda ea quibus ad partes officii Chriſtiani explendas incitemur.

Major propoſitio.

Quicquid utile eſt ad multiplicem fidei doctrinam, ad pernicioſorum errorum refutationem, ad morum vitioſorum correctionem, ad gratitudinis erga Deum & charitatis in Eccleſiam excitationem, deniq; ad certiſsimam noſtram conſolationem; id profectò à nobis & aliis fidelibus piâ atq; religiosâ attentione meditandum. Nam ſi ſeriò cogitamus de iis quæ in Oeconomia, quæ in opificio, quæ in commercio aliquo, quę in agrorum vel hortorum vel vinearum cultura, quæ in quacunq; vitæ humanæ parte utilitatem aliquam corporalem, momentaneam & evaneſcentem afferunt; ſi ſtudioſè inquirimus ea, quæ ad conſervationem ſanitatis corporis mortalis & corruptibilis, quæ ad depulſionem morborum & infirmitatum, quæ ad præcautionem à peſte aliiſq; damnis faciũt:

Illuſtratio ejus per comparationem imparium.

multò

multò magis cogitandum illud nobis, quod non unam vel alteram duntaxat, sed multas & varias utilitates præstat; quod non corpori tantùm, sed etiam animæ, sed toti homini magnopere prodest, cujus fructus non hujus vitæ angustis terminis circumscribitur, sed in omnem æternitatem perdurat.

Jam historia de Passione & morte Domini nostri Jesu Christi utilitatem nobis multiplicem affert; nam doctrinam veræ fidei confirmat: errores noxios confutat: morum corruptelas expurgat: ad gratitudinem in Deum & charitatem in Ecclesiam excitat; ad patientiam & erigendos infallibili solatio animos informat. *Minor propositio.*

Ad multiplicem doctrinam fidei servit, tũ quod ad Deum, tum quod ad nos homines attinet. Deus enim per passionem & mortem Christi glorificatus est; quum ex ea cognosci omnium clarissimè possit, quòd sapiés, quòd verax, quòd potens sit, quòd providentiâ suâ omnia decreverit & gubernet. ἐξεργασία ejus.

Justus Deus est, qui peccatum nullo modo impunitum sinit, sicut idem odit, detestatur, prohibet, puniturum se comminatur. Legẽ tulerat homini in Paradiso collocato, Genes. 2. v. 16. & 17. *De fructu quidem omnis arboris hujus horti liberè comedes; De fructu verò arboris scientiæ boni & mali, de isto ne comedas: nam quo die comederis de eo, morte morieris.* Istam legem homo seductus à serpente antiquo transgres-

sus est, in eam spe adipiscendi ampliora bona peccavit. Justitia igitur Dei exigebat ut homo pœnam exsolveret, qui obsequium non exhibuerat: ut morte æterna periret, qui vitę spreverat autorem.

QVAESTIO hîc incidit; *An non Deus justus sit & maneat, etiamsi peccatum prorsus non puniat, sed ex mera misericordia absq; præstita satisfactione remittat?* RESPONDEO. Deus non maneret justus, imò Deus non esset, si peccatum prorsus non puniret, sed absq; ulla omnino satisfactione remitteret. Nam repugnantia sunt & simul consistere nequeunt, esse justum & peccatum omnino impunitum dimittere. Deus non esset Deus, si hæc simul in ipsum cadere possent. Est autem is *qui ullo pacto non absolvit non absolvendum*, ut testatus est Mosi Exod. 34. v. 7. *Non est Deus qui delectetur improbitate, non est commoraturum apud ipsum malum*, ut dicitur Psal. 5. v. 5. Proinde peccatum non finit impunitum. In diabolo & reprobis angelis & hominibus plectit illud æterno supplicio: quod verò ad electos homines attinet, etsi eos ad vitam æternam ordinavit in Christo, tamen peccatum illorum impunitum nõ dimisit. Ut enim pro illo justitiæ suæ satisfieret, pœnam exegit loco hominum electorum à Filio suo unigenito, qui pro ipsis sponsorẽ ultrò se constituerat, qui promiserat se caput serpenti contriturum, se calcanei sui contritionem, sine qua caput serpentis comminui non

non poterat, sponte perpessurum. Patrem à Filio pœnam nobis debitam exacturum prophetæ prædixerunt. Jesaias cap. 53. v. 5, 6, & 7. ait: *Ipse dolore afficitur propter defectiones nostras, atteritur propter iniquitates nostras; Omnes nos ut ovis erravimus, quisque in viam suam nos convertimus; & Iehova facit ut incurrat in eum pœna omnium nostrûm. Exigitur pœna & ipse affligitur.* item v. 9. & 10. *Quamvis non fecerit violentiam, neq; dolus in ore ejus fuerit: & Iehova volens conterere ipsum, morbo affecit, quandoquidem exposuit se sacrificiũ pro peccato anima ipsius.* Zachar. 13. v. 7. *Gladie, evigila contra Pastorem meum, & contra virum proximum meum, dicit Iehova exercituum. Percute pastorem & dispergentur oves.* Paulus Apostolus Roman. 8. v. 32. ait de Patre: *Proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum.* Proinde ex historia passionis & mortis Christi, justitia Dei abundè cognoscitur.

Ex eadem liquet, quòd Deus misericors sit & nos diligat eò quòd nobis pepercerit & pœnam nobis infligendam in Filium suum transtulerit: sicut Jesaias cap. 53. v. 4. dicit: *Morbos nostros ipse pertulit, & dolores nostros ipse bajulavit.* & v. 5. *Castigatio pacis nostræ imponitur ei & tumice ejus fit curatio nobis. Commendat suam erga nos charitatem Deus, eò quòd quum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus est, vt Paulus ait Rom. 5. v. 8.*

Ex eadem discimus, Deum esse sapientem, qui in æterno suo consilio viam talem ad no-

stri redemtionem præordinavit, nempe per obedientiam Filii sui usq; ad mortem crucis. *Sermo ille de cruce, iis quidem qui pereunt, stultitia est: iis autem qui servantur, id est, nobis potentia Dei est. Scriptum est enim: Abolebo sapientiam sapientum, & intelligentiam intelligentium tollam è medio. Ubi sapiens? ubi scriba? ubi disquisitor seculi istius? nonne infatuavit Deus sapientiam mundi hujus? Nam postquam in Dei sapientia mundus non cognovit Deum per istam sapientiam, placuit Deo per stultum præconium servare credentes. Quandoquidem & Judæi signum petunt, & Græci sapientiam quærunt. Nos autem prædicamus Christum crucifixum Judæis quidem offendiculum, Græcis verò stultitiam. Ipsis autem vocatis, tum Judæis tum Græcis, Christum Dei potentiam ac Dei sapientiam. Nam stultitia Dei sapientior est, quàm homines: & infirmitas Dei validior est, quàm homines:* ait Apostolus Paulus 1. Cor. 1. v. 18. & sequentibus. Non defuit alius redimendi & restituendi hominē in integrum modus possibilis Deo, cujus potestati cuncta æqualiter subjacent: sed sanandæ nostræ miseriæ convenientior alius modus non fuit, nec esse debuit: ut Augustinus docet tomo tertio, libro de Trinitate tertiodecimo, capite decimo.

Ex eadem discimus, Deum esse veracem, qui prædictiones omnes suas quascunque in veteri testamento per Prophetas suos fecit de Christo, eventu ipso comprobavit: quemadmodum Dominus ipse ex mortuis resuscitatus

tatus dixit. Luc. 24. v. 25, 26, 27. *O amentes & tardi corde ad credendum omnibus quæ locuti sunt Prophetæ. Nónne hæc oportuit pati Christum, & introire in gloriam suam? Et exorsus à Mose & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de se scripta erant.* & v. 46. *Ita scriptum est, & ita oportuit Christum pati, & resurgere à mortuis tertio die.*

Ex eadem discimus, Deum esse potentem, qui potentiam Satanæ debellare, hominem captivum liberare, lapsum erigere, corruptũ potuit instaurare. Quod autem posteriùs de potentia Dei, quàm de justitia dicimus, non fit sine causa. Justitiâ priùs quàm potentiâ diabolus superandus erat: jure, non vi homo redimendus erat. Potentia quippe adjuncta justitiæ judiciariam potestatem facit: pertinet autem justitia ad voluntatem bonam. Potentia sequi debet justitiam, non præire.

Ex eadem discimus, Deum providentiâ suâ omnia decrevisse & gubernare: sicut Dominus ipse ad Pilatum ait Johan. 19. v. 11. *Non haberes potestatem adversus me ullam, nisi hoc tibi datum esset supernè.* Et Ecclesia Apostolica Actor. 4. v. 27. & 28. *Coacti sunt in hac civitate verè adversus sanctum Filium tuum Jesum quem unxisti, Herodes & Pontius Pilatus cum Gentibus & populis Israëlis: Ut facerent quæcunq; manus tua & cõsilium tuum priùs definierat ut fierent.*

Hæc & alia quæ brevitatis causâ omitto, documenta de Deo historia Passionis & mortis Christi tradit.

Quod ad nos homines attinet, docet eadē historia, salutem nostram sempiternam & omnia ad eam necessaria media, quæ sunt, efficax vocatio, fidei salvificæ donatio, gratuita justificatio, spiritualis regeneratio, Christum passione & morte suâ nobis promeruisse & revera dare, Justificatos nos ejus sanguine, ait Paulus Rom. 5. v. 9. *Quum inimici essemus, reconciliati fuimus Deo per mortem Filii ejus.* v. 10. *Sanguis Jesu Christi Filii Dei emundat nos ab omni peccato,* ait Johannes 1. epistolâ, cap. 1. v. 7. Plura de hoc usu primo non addo: ad secundum accedo.

Historia de passione & morte Christi refutat validissimè errores Pharisęorum, Papistarum & omnium illorum, qui redemtionem à peccato, ab ira Dei, à damnatione æterna, in suis propriis operibus, meritis, pœnitentiis, satisfactionibus vel in hac vita, vel in purgatorio, in martyrum meritis, in Papalibus indulgentiis, & aliis humanis confictis mediis, & non in sola unius Christi Jesu obedientia quærunt. *Si per Legem est justitia, Christus frustra mortuus est,* ait Paulus Gal. 2. v. 21.

Adjungo tertium usum.

Historia hæc morum corruptelas expurgat, dum conscientiam uniuscujusq; convincit, gravissimè peccare eos, qui in sceleribus perseverant, qui illis delectantur, quum ęternus Dei Filius tantos dolores, tam diros in anima

nima angores, tam acerbos in corpore crucia tus nostrâ causâ subierit & pertulerit. Verè ne fideles esse possunt, qui inenarrabiliū dolorum Christi & mortis illius meditatione, à peccatis non revocantur? Quum igitur Christus propter peccata nostra mortuus sit; ne igitur post hac serviamus nos peccato. Sed quartum usu subiicio.

Historia hæc nos excitat, ut Deo Patri, Filio & Spiritui Sancto gratitudinem nostram pro redemtione probemus, non tantùm sacrificii laudis oblatione & passionis mortisque Christi commemoratione, tum in Euangelio audiendo legendoq; tum in sacramentorum usu; verùm etiam totius vitę sancta institutione, qualis redētos decet, & fuga peccatorum: ut qui sciamus nos non caducis rebus, argento vel auro, fuisse redemtos ex vana illa nostra conversatione, à patribus tradita: sed pretioso sanguine, utpote Agni inculpati & incontaminati, nempe Christi, ut dicitur. 1. Petr. 1. v. 18. & 19. Quò pertinet etiam quod legitur 1. Petr. 4. v. 1. & 2. Rom. 6. v. 2. & sequentibus. Excitat nos eadem ad verum & ardentem fratrum amorem, ut sicut Christus animam suam pro nobis posuit, nos etiam pro fratribus animas ponamus. 1. Johā. 3. vers. 16.

Restat usus ultimus.

Historia hæc certissimam nobis consola-

tionem subministrat contra peccatum, hoc est, contra tristissimas tentationes & conscientiæ angores propter peccatum. Quò pertinent loca Iesa. 53. v. 4, 5 &c. Matth. 20. v. 28. & cap. 26. v. 28. Rom. 4. v. 25. & cap. 5. v. 6. & cap. 8. v. 3. 2. Cor. 5. v. 21. Hebr. 9. ferè toto. 1. Johan. 1. v. 7. & cap. 2. v. 1, 2.

Eadem vivam consolationem suppeditat contra omnem crucem & afflictionem, contra persecutiones propter Christum, contra ignominiam, contra convicia, contra servilē & contemtam nostram conditionem, contra morbos corporis, contra mortem deniq; ipsam tum corporalem tum æternam. Quo pertinent loca, 1. Petr. 2. v. 21, 22 &c. & cap. 3. v. 17, 18. & cap. 4. 13. & cap. 5. v. 10.

En quàm multiplicem utilitatem historia de Passione & morte Christi nobis exhibeat!

Conclusio. Quapropter est à nobis & aliis fidelibus piâ atque religiosâ attentione meditanda. Benignissimus Pater cælestis per Spiritum Sanctum suum nos ad hoc idoneos efficiat. AMEN.

Lectio secunda die 27. Martii.

In versu 15 capitis tertii Geneseos triplex prædictio continetur: *Prima* est de perpetuis inimicitiis inter Satanam semenq; ejus, & inter Ecclesiam Caputq; ejus Christum.

Secunda de incarnatione æterni Filii Dei, qui Satanæ Caput conterere debuit. *Tertia* est de passione & morte Christi. De prima prædictio-

prædictione aliàs dicetur, Deo juvante: de secunda, in festo Nativitatis Christi actum: de tertia jam favente Numine, tractandum. Quinque autem capita prædictio hæc tertia complectitur: *Primum* est, quis passus & mortuus sit? *Alterum*, secundùm quam naturam? *Tertium*, quę sint passionis & mortis ejus causæ efficientes? *Quartum*, quomodo sit passus, κατὰ δοκησιν ne an verè? cum dolore ne an sine dolore?

Quintum deniq; qui effectus & fructus sit passionis & mortis ejus?

De primo capite.

Passus & mortuus est Unigenitus Dei Filius caro factus ex semine Virginis Marię, Dominus noster Iesus Christus, isq; solus. Id liquet inde, quia ipse est Semen illud mulieris, cujus calcaneum serpens cōtriturus erat. Sensus eorum quæ dicimus est perspicuus. Rationes autem perpendendę sunt, cur solus Filius passus & mortuus sit?

Prima ratio est, quia solus Filius homo factus est & carnem sibi univit, quâ sola pati & mori potuit.

Secunda, quia solus Filius sponsor pro nobis factus est: solum ergo satisfacere pro nobis æquum fuit.

Tertia, quia homines jure filiorum Dei exciderant, Filium ergo Dei unigenitum pro ipsis satisfacere decuit, ut jus filiorum recupe-

rarent. Videamus jam usum. Si solus Unigenitus Dei Filius passus & mortuus est: non ergo Pater vel Spiritus Sanctus. Exstiterunt olim hæretici, Patripassiani appellati, qui veluti surculus ex Simonis Magi hæresi nati sunt, & vocati etiam sunt Noëtiani à Noëto Smyrnensi, Sabelliani à Sabellio Noëti discipulo, Praxeani à Praxea qui eundem errorem sparsit: hi omnes docuerunt, unam tantùm esse personam Deitatis, sed tria nomina habentē, Patris, Filii & Spiritus Sancti: itaq; Christum eundem ipsum esse Patrem & Spiritum Sanctum, in cælis Patrem appellari, in terris Filium, in viribus creaturarum Spiritum Sanctum: unde idem de Patre dicebant, quod de Filio, nempe Patrem esse visibilem & invisibilem, mortalem & immortalem, patibilem & impatibilem. Sic igitur Patrem passum esse in terris dixerunt, qui impassibilis sit in cælis. Nos verò cum Prophetis & Apostolis credimus, etsi vna est & eadem numero Patris, Filij & Spiritus Sancti essentia & natura: tamen tres esse hypostases realiter inter se distinctas; sic ut Pater non sit ens tantùm rationis & notionale, sed reale & distinctum realiter à Filio.

Objiciunt:

Si omnes tres personæ sunt incarnatæ, tum etiam omnes tres sunt passæ & mortuæ. Verum esse antecedens confirmare conantur hoc pacto: Si tota natura divina est incarnata, tum omnes tres personæ sunt incarnatæ.

tæ. Atqui totam naturam divinam incarnatam esse, ajunt patere ex tribus his rationibus, quia magno consensu dicatur, unitas esse duas naturas in Christo, divinam & humanam, divinam autem unam & eandem esse Patris, Filii & Spiritus Sancti: 2. quia Paulus dicat Colos. 2. v. 9. in Christo habitare omnem plenitudinem Deitatis corporaliter: 3. Quia patres Orthodoxi sæpè scribant, naturam divinam incarnatam esse. Hinc contendunt sequi, omnes tres personas, quarum est communis una eademque illa natura, esse incarnatas, ac proinde etiam passas & mortuas. Verùm responsio expedita est. Quod ad primam rationem atinet, cùm dicitur, duas naturas, divinam & humanam, in Christo esse personaliter unitas, figurata est locutio: nam non propriè natura assumsit sibiq; univit naturam, sed persona seu subsistentia Verbi æterni, exsistens in forma seu natura Dei. Sicut Johannes cap. 1. v. 14. non ait, divina natura caro facta est: Sed, *Sermo ille caro factus est.* Et Paulus Philipp. 2. v. 6. & 7. non ait, Forma Dei assumsit formam servi: *sed*, Christus Jesus qui erat in forma Dei assumsit formam servi. Unde etiam *unio personalis* in Christo nō consistit in communicatione divinæ naturæ cum humana, quia divina natura est communis Patri, Filio & Spiritui Sancto; sed in communicatione subsistentiæ Verbi cum humana natura assumta carente in se propriâ sub-

unio personalis in Christo, in cujus rei communicatione consistat?

sistentiâ: quia subsistentia Verbi est propria Verbi & realiter distincta à subsistentia Patris & à subsistentia Spiritus Sancti. Unio enim hypostatica in Christo non potuit fieri in communicatione ejus quod omnibus personis Deitatis commune est, sed tantùm in communicatione ejus quod Filii Dei proprium est. Atqui natura divina cõmunis est, subsistentia autem Filii est ejus propria. Nec quicquam impedit, quod replicant, naturam divinam & subsistentiam Filii non differre re ipsa, sed unum & idem esse: Etsi enim re ipsa non differãt, distinguuntur tamen modo & ratione, sic ut natura divina eadem exsistens in omnibus personis, diversos tamen & realiter inter se distinctos subsistendi modos habeat, quia in Patre est ἀγεννήτως, in Filio γεννητῶς, in Spiritu Sãcto ἐκπορευτῶς. Quare cùm humana natura dicitur unita in Christo divinæ naturæ, non intelligitur divina natura absolutè considerata & quatenus est communis Patri, Filio & Spiritui Sancto, sed relatè quatenus γεννητῶς in Filio subsistit. Ex his patet, ex antecedente figurato inferre consequens proprium esse ἄλογον.

Quod ad secundam rationem attinet, cùm Paulus Coloss. 2. v. 9. ait, *in Christo inhabitare omnem plenitudinem Deitatis*, nihil aliud intelligit, quàm totam plenitudinem Deitatis, non simpliciter, sed quatenus est singulariter in Filio, inhabitare in assumta humana natura

ὑποστατικῶς. Sophisticum autem est simpliciter accipere, quod secundùm quid intelligi debet.

Similiter quod ad tertiam rationem attinet, cùm patres Orthodoxi dicunt, naturam divinam incarnatam esse, intelligunt naturam divinam non ἁπλῶς & communiter, quatenus prædicatur de singulis personis; sed κατά τι & singulariter, quatenus in persona duntaxat Filii consideratur.

Quapropter potuit tota natura divina dũtaxat in Filio incarnari: quia simplicissima cùm sit, tota in unaquaq; est persona. Sicut tota locuta est in Patre dicente, *Hic est Filius ille meus, &c*: Tota fuit in columba symbolo Spiritus Sancti; nec tamẽ inde colligi potest, vel Filium eandem vocem tum è cælo locutum, vel Patrem etiam & Filium illam columbam fuisse, quæ Spiritus Sanctus fuisse dicitur.

Ex refutatione istarum rationum liquet, non tres personas esse incarnatas, ac proinde nec omnes tres esse passas & mortuas; sed solum Filium Dei in carne manifestatum.

Hactenus primus usus: sequitur alter.

Si Filius Dei pro nobis passus & mortuus est, tum profectò sufficientissimè pro nobis satisfactum, & nos plenissimè redemti & emundati à peccato sumus. Quî enim posit

insufficiens esse satisfactio & manca redemtio quæ à sufficientiæ & perfectionis omnis fonte profluxit? Ideo dicitur 1. Johan. 1. v. 7. *Sanguis Jesu Christi Filii Dei purgat nos ab omni peccato.* Non ait Johannes simpliciter, sanguinem Jesu Christi, sed addit, Filii Dei, ut sufficientiam & perfectionem pretii redemtionis indicet. Deinde non ait, purgat nos à peccato; sed, purgat nos ab OMNI peccato.

Tertius usus. Si Jesus Christus Filius Dei pro nobis passus & mortuus est nostri redimendi causâ: quàm promtos nos esse decet ad recognoscendum tantum beneficium? ad celebrandum ejus autorem? ad illum illiusq; honorem amandum & defendendum? ad illum confitendum? ad patiendum, ad moriendum pro nomine illius, pro Euangelio & veritate illius? Hanc gratitudinem, hâc obedientiam Filio Dei omnes, quotquot redemti sumus, debemus. At quàm malignè gratiam ei habemus, & obsequium exhibemus? In rebus prosperis & ad nutum nostrũ fluentibus obliviscimur illius: in rebus adversis indignamur illi: in persecutionibus confiteri illum metuimus.

Quartus usus. Si Filius Dei passus & mortuus est; simus & nos patientes in passionibus & morte. Hunc usum monstrat Paulus cùm ait Heb. 12. v. 3. *Etenim reputate quis ille sit qui talem sustinuit à peccatoribus adversus sese contradictionem, ne vestris animabus remissi, fatiscatis.*

Sic

Sic conformabimur imagini Filii Dei, ut idem Paulus ait Roman. 8. vers. 29. *Quos prænovit etiam prædestinavit conformandos imagini Filii sui*, nempe etiam in passionibus & morte. Hæc consolatio magna est, & in fidelibus validissimè efficax.

Hucusq; de primo capite.

ALTERUM caput est, secundùm quam naturam Christus passus & mortuus sit? *Lectio 3. die 28. Martii.*

CHRISTUS passus & mortuus est secundùm humanam naturam: sicut prædictum fuit in Paradiso, à serpente cõtritum iri Christi *calcaneum*, quo synecdochicè humana Christi natura intelligitur. Testantur idem Apostoli. Paulus Rom. 8. v. 3. ait: *Nam quæ Legis erat impotentia quum viribus esset destituta per carnem*, hoc est, quia lex non poterat nos justos facere coram Deo, cùm ad id efficaciâ caruerit nõ per se, sed propter nostræ naturæ corruptionem, *Deus suo ipsius Filio misso in forma*, id est, in natura *consimili carni peccato obnoxiæ*, id est, huic nostræ peccatrici carni simili, idq; *pro peccato*, hoc est, eo fine ut peccatum aboleretur, *condemnavit peccatum*, hoc est, declaravit ipsum jus nullum in nos habere, *in carne* scilicet Christi; ut idem Paulus se explicat Coloss. 1. cùm ait v. 21, 22. *Vos quum essetis quondam abalienati, & hostes, mẽte operibus malis intenta nunc sanè reconciliavit, in corpore illo carnis suæ, per mortem.* Quapropter carnem in qua peccatum cõde-

mnatum Paulus Rom. 8. asserit, de carne Christi interpretantur etiam patres, *Tertullianus* libro de carne Christi, capite decimosexto, *Ambrosius* in Commentariis ad hunc locum: & libro primo de pœnitentia, capite secũdo, *Augustinus* tomo septimo, libro secundo de peccato Originali contra Pelag. & Cœlestiũ, capite quadragesimo. *Hieronymus* in caput secundum ad Galatas. *Cyrillus* libro nono in Johannem, capit. quadragesimo septimo. Similiter Petrus 1. Epist. 2. v. 24. ait. *Quòd Christus peccata nostra ipsemet sursum tulit in corpore suo super lignum illud, ut peccatis mortui, Justitiæ viveremus.* & cap. 3. v. 18. *Nam & Christus semel pro peccatis passus fuit, justus pro injustis, ut nos ad Deum adduceret, mortificatus quidẽ carne, vivificatus autem Spiritu.* & cap. 4. v. 1. repetit quòd *Christus passus sit pro nobis carne. Ergo carne*, id est, humanâ suâ naturâ passus est.

QUAESTIONES hîc duæ occurrunt: Prima est. *Cùm Apostoli dicunt, Christum passum & mortuum esse carne, quid nomine carnis intelligatur, corpus ne tantùm, an verò etiam anima?* RESP. Cùm Christus dicitur passus & mortuus carne, nõ tantùm de corpore, sed etiam de anima ejus intelligendum est. Est enim passus etiam animâ: sicut ipse testatur Matthæi 26. v. 38. *Undiquaq; tristis est anima mea usque ad mortem.* & Johan. 12. v. 27. *Nunc anima mea turbata est: & quid dicam? Pater libera me ab hac hora: sed propterea veni in horam hanc.* Et Matthæus

thæus Cap. 26. v. 37. ait. Jesum in loco qui dicitur Gethsemane *cœpisse contristari & gravissimè angi.* & Lucas cap. 22. v. 44. ait, eum *fuisse constitutum in angore*, & Paulus Hebr. 5. v. 7. *in metu:* unde præ vehementia anxietatis & terroris coram tribunali irati Dei, ante quod tũc se loco nostro stitit, sudor ejus quasi grumi sanguinis in terram descendebant. Tristitia autem illa & gravissima anxietas & metus vbi poterant esse nisi in anima? Sic Jesaias cap. 53. v. 11. laborasse animam Christi in passione docet, cùm ait, Messiam *extra laborem animam suam videntem satiatum iri.* Utq; Christus mortuus est corpore, morte corporali, animâ nimirum à corpore discedente: ita etiam mortuus est animâ, morte spirituali, Deo nimirum ipsum ad tempus quamvis exiguum deserente, sicut Christus ipse in cruce pendens testatus est, cùm magnâ voce clamaret, *Deus mi, Deus mi, quare me deseruisti?* Matth. 27. v. 46. Tum quia animam in sacrificium propitiatorium offerebat; in mortem illam tradi necesse fuit; hoc enim est quod dicitur Jesa. 53. v. 10. *exponebat animam suam in sacrificium pro reatu.* & v. 12. *profudit in mortem animam suam.* Insuper ut duplex nostra natura peccavit, corpus & anima: sic duplicem oportuit Deo Patri offerri oblationem ad redemtionem nostri. Obtulit igitur Christus corpus suum pro corpore nostro, & animam suam pro anima nostra: ut & corpus nostrum & animam

nostram ac proinde totum hominem redimeret. Non pugnat hoc cum Paulo dicente Heb. 10. v. 14. *Unica oblatione nos cõsecravit.* Una enim numero oblatio fuit, sed partibus duplex. Similiter cùm idem Paulus ait, Hebr. 10. v. 10. Christum corpus suum obtulisse, Synecdoche est quâ oblatio animæ nõ excluditur. Sic ipse Dominus ait Marc. 10. v. 45. *Filius hominis non venit, ut sibi ministraretur, sed ut ministraret, & daret animam suam redemtionis pretium pro multis.* Hoc argumẽtum tradidit ante nos Theodoretus Dialogo tertio, qui inscribitur Impatibilis. Adhæc Christus mortem crucis pro nobis passus est; Philipp. 2. v. 8. ergo non tãtùm corporis lacerationem, sed etiam cruciatus animæ & maledictionem Dei quæ in anima sentitur, atq; hic in anima maledictionis divinæ iræque adversus peccata humani generis sensus acerbissimus, quid aliud nisi effectus mortis animæ fuit? Præterea anima quoq; nostra pœnæ & morti spirituali subjecta erat; ergo eandem Christum in anima sua subire necesse fuit: Utraq; enim mors peccatis nostri debita fuit, corporis & animæ, ab utraque nos per Christum redimi oportuit, quod aliter fieri non potuit, nisi utramq; perferendo.

QUAESTIO altera est: *Si Christus non tantùm corpore corporaliter, sed etiam animâ spiritualiter passus & mortuus est; Cur igitur Scripturæ totam salutem nostram tribuant sanguini & morti Christi*

Christi corporali? veluti Rom. 3. v. 25. *Quem proposuit Deus placamentum per fidem in sanguine ipsius.* Ephes. 1. v. 7. *In quo habemus redemtionem per sanguinem ipsius.* Colos. 1. 20. *Pace per sanguinem crucis ejus facta, per eum reconciliare omnia sibi.* Hebr. 9. v. 12. & sequentibus. *Per proprium sanguinem ingressus est semel in sacrarium, æternã redemtionem nactus. Nam si sanguis taurorum & hircorũ & cinis juvencæ adspergens inquinatos, sanctificat ad carnis puritatem: Quantò magis sanguis Christi qui per Spiritum æternum seipsum obtulit inculpatum Deo, emundabit conscientiam vestram à mortuis operibus ad serviẽdum Deo vivo?* 1. Petr. 1. v. 18. & 19. *Vt qui sciatis vos non caducis rebus, argento vel auro, fuisse redemtos ex vana illa vestra conversatione à patribus tradita: Sed pretioso sanguine, utpote Agni inculpati & incontammati, nempe Christi.* 1. Johan. 1. v. 7. *Sanguis Iesu Christi Filii ejus purgat nos ob omni peccato:* Apocal. 1. v. 5. *Fidus ille testis, primogenitus ille ex mortuis ac princeps regum terræ: qui dilexit nos & lavit nos à peccatis nostris per sanguinem suum.* & cap. 5. v. 9. *Mactatus es & redemisti nos Deo per sanguinem tuum.* Rom. 5. v. 10. *Reconciliati sumus Deo per mortem Filij ejus.* Philipp. 2. v. 8. *Ipse se submisit, factus obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis.*

RESP. Scripturæ quæ totam salutem nostram tribuunt sanguini & morti corporali Christi, Synecdochicè loquũtur, partem pro toto nominantes, & quod est totius, tribuentes parti maximè conspicuæ & in oculos in-

currenti, ut se accommodet captui etiam infirmorum qui faciliùs ea quæ oculis videntur cognoscunt, quàm quæ ratiocinatione sunt perscrutãda. Sicut in historia creationis mundi describuntur tantùm visibiles creaturæ, cùm certum sit, etiã invisibiles creaturas tum productas fuisse. Sicut item in describenda obedientia Christi externæ actiones recensentur, quum tamen interne excludi non debeant: externæ autem in sensus hominum incurrebant. Ita quoq; in locis adductis externa atque corporalis passio & mors Christi inculcatur: non quòd interna & spiritualis excludatur, sed tum quia externa atq; corporalis maximè evidens fuit; tum quia in sanguinis effusione & morte corporis, faciliùs animadverti potuit veritas corporis Christi, & veritas passionis, ne phantasticum corpus solummodo habere & putativè passus & mortuus cẽseri posset: tum quia apertiùs cernitur veritas & complementum sanguinis & mortis pecudum in veteri Testamento mactatarum, velut figurarum sacrificii Christi. Soli autem externæ passioni & morti salutem nostram à Scripturis non tribui, locus Philipp. 2. v. 8. inter cæteros allegatus abundè docet. Christus enim factus est obediens *vsq; ad mortem crucis*, hoc est: cum maledictione divinâ conjunctam. Quod pluribus interpretatur Paulus Gal. 3. v. 13. *Christus nos redemit ab exsecratione Legis, dum pro nobis factus est exsecratio: scriptum*

scriptum est enim, Exsecrabilis est qui pendet in ligno. Atqui maledictio ista sentiri à Christo nõ potuit nisi principaliter in anima à Deo ad momentum temporis deserta: quæ desertio est spiritualis passio & mors animæ. Sed plura testimonia Scripturę & argumẽta pro nostra sentẽtia paulo antè sunt commemorata.

Usus

1. Quum Christus passus & mortuus sit pro nobis carne, id est, animâ & corpore: sequitur ipsum non tantùm verum Deum sed etiam verum hominem esse, ac proinde duabus naturis constare personaliter unitis; divinâ, impatibili & immortali; humana verò, quâ pati & mori potuit. Ita duo sunt in Christo: unum coruscat miraculis, aliud succumbit iniuriis. Sequitur etiam Christum non tãtùm corpus nostrum, sed etiam animam nostram redemisse. διδασκαλίαι.

11. Quum Christus passus & mortuus sit carne: sequitur non esse passum & mortuum Deitate. Errarunt proinde hæretici Theopaschitæ seu Theopasiani dicti, qui contendebant in Christo Deitatem doluisse, cùm figeretur caro ejus in cruce: de qua hæresi Augustinus Libro de hæresib. ad Quodvult Deum, capite septuagesimo. Hæresis etiam Arianorum fuit, τὸν λόγον esse passum qui corpori sese adjunxit: adversus quam hæresim est tertius Theodoreti dialogus, qui ἀπαθὴς, hoc est, Im-

ἔλεγχοι.

passibilis inscribitur. Eandem hæresin postea sequuti sunt & pertinaciter defenderunt Eutychiani, maximè sub Zenone Imperatore: nunc quoq; inter Armenios, qui se Christianos appellant, permansisse fertur. Superiore etiam seculo in Germania nostra quidam ausi sunt asserere, Christũ secundùm utramq; naturam passum esse. Non juvat autem eos id quod dicitur Actor. 20. v. 28. quòd *Deus suo sanguine Ecclesiam acquisiverit*, & 1. Corinth. 2. vers. 8. quòd *Dominus gloriæ crucifixus sit*. Nam in hoc utroque loco quod proprium est humanæ naturæ, tribuitur personæ, à divina natura denominatæ, per communicationem idiomatum.

Sunt quidem duę naturæ in persona Christi unitæ inseparabiliter, sic ut persona illa, quæ Deus est, rectè dicatur passa & mortua: id tamẽ per communicationem idiomatum dicitur de illa persona secundùm humanã naturam. Passio & mors carnis communicatur personæ, ita ut non communis tantùm, sed & propria sit ipsius personę. Vigilius quidem Episcopus olim Tridentinus adversus Eutychen libro secundo, capite tertio paulò aliter loqui videtur, nempe sic; *Passus est Deus secundùm unionem personalem, non est passus secundùm proprietatem naturæ, siquidem passionis injurias etiã divinitas pertulit, id est, suas fecit* (scilicet reali conjunctione cum natura assumta, non inhæsione,) *sed passionem sola caro ejus persensit secundùm*

cundùm naturam; ad verbum autem ſecundùm perſonam, quia verbi & carnis una eſt & eadem perſona. Et libro quinto, capite ſecundo: *Propter ineffabile myſterium unionis utrarũq; naturarum, communis in Chriſto fuit mortalitas carnis verbi naturæ, quæ mori nõ potuit: & cõmunis in ipſo eſt immortalitas verbi, naturæ carnis, quæ morti ſuccubuit. Ergo ſicut illi mori & non mori, ex utrisque naturis eſt proprium: ita commune eſt in ipſo utriſq; naturis, quod illarum eſt proprium: & ut exempli gratiâ dixerim, proprium mihi eſt notam livoris cujusq; verberis geſtare in corpore meo per naturã carnis meæ: Item proprium mihi eſt plagam verbi, id eſt ſermonẽ durum geſtare in mente mea, per naturam animæ meæ: & proprium mihi eſt, eandem plagam non portare in corpore meo per naturam carnis meæ. Et cùm ſit mihi utrunq; proprium, & corpori & animæ meæ utrumq; alienum; quia nec corpus durum lætúmve ſermonem intelligit, nec anima flagelli vulnere liveſcit: utrumq; tamẽ commune eſt in meipſo, & animæ & corpori meo; quia nec anima extra corpus ſita, quod ei ſentire proprium fuerat, ſentit; nec corpus extra animæ conſortium, plagarum indicia geſtavit. Quod igitur proprium mihi eſt in ſingulis, & alienũ eſt à ſingulis; id commune eſt in meipſo ſingulis, quod proprium eſt ſingulis.* Sententia autem Vigilii eſt: & vtriuſq; naturæ & ſingularum naturarum proprietates eſſe perſonæ Chriſti proprias, naturis autem inter ſe communes, non in ipſiſmet, ſed in perſona: ſic ut proprietates cujuſq; naturæ fiant communes alteri natu-

ræ in concreto expressæ ac significatæ. Hoc declarat similitudine quadam, cujus sensus huc redit: sicut & animæ & corporis proprietates propriæ sunt homini, animæ autem & corpori inter se communes, non ipsismet, sed in persona hominis; quia anima etiam proprietates corporis sibi communes habet propter unionem, non in sua οὐσίᾳ seu essentia, sicut corpus, sed in persona hominis: & corpus etiam proprietates animæ sibi communes habet propter unionem, non in sua οὐσίᾳ seu essentia, sicut anima, sed in persona hominis; qui homo sicut corpore & animo, ut partibus essentialibus constat, ita etiam & utriusque & singulorum in se realiter habet proprietates, ac proinde & corporis & animæ proprietates de homine prædicantur: Sic pati & mori quæ proprietates carnis sunt, propriè erant Christo, & communes τῷ λόγῳ cum carne, non in ipsa natura divina, quippe quæ pati & mori non potest, sed in persona carnem hypostaticè gerēte quò in ea pati & mori posset, Hoc est, ut clariùs & breviùs dicam, passio & mors carnis Christi pertinuit ad Verbum, cujus propria est caro, sed pertinuit ad illud, non reali communicatione seu inhęsione, sed οἰκειώσει, id est, appropriatione, quia ut caro assumta Verbi propria caro est, ita etiam omnes actiones & passiones carnis tanquā suas proprias Verbum sibi vendicat. Sic Damascenus ait lib. 3. Orthodidei cap. 3.

οἰκει-

οἰκειῶται τὰ ἀνθρώπινα ὁ λόγος. (αὐτὸ γάρ ἐστι, τῆς ἀγίας αὐτοῦ σαρκὸς ὄντα) καὶ μεταδίδωσι τῇ σαρκὶ τῶν ἰδίων κατὰ τὸν τῆς ἀντιδόσεως τρόπον, διὰ τὴν εἰς ἄλληλα τῶν μερῶν περιχώρησιν καὶ τὴν καθ' ὑπόστασιν ἕνωσιν. καθότι εἷς ἦν ὁ αὐτὸς ὁ καὶ θεῖα καὶ τὰ ἀνθρώπινα ἐνεργῶν ἑκατέρᾳ μορφῇ μετὰ τῆς θατέρου κοινωνίας. Διὸ δὴ καὶ ὁ Κύριος τῆς δόξης ἐσταυρώθαι λέγεται καὶ τοι τῆς θεότητος αὐτοῦ παθητὸς φύσεως.

hoc est, *Quæ humana sunt. Verbum sibi attribuit* [seu vendicat ac sua facit.] (*Nam ipsius sunt ea, quæ sanctæ ipsius carnis sunt,*) & *tradit carni sua propria secundùm alternæ tributionis* [seu mutuæ attributionis seu reciprocæ prædicationis] *modum, propter naturarũ in se invicem accessionem reciprocam* [seu comprehensionem, complexum mutuum, imminentiam] & *propter unionem secundùm hypostasin, & quoniam unus est & idem qui & divina & humana operatur in utraq; forma cum alterius communione. Quare & Dominus gloriæ crucifixus dicitur, quamvis natura ejus divina non sit passa.* Damascenus igitur primò docet, quòd Verbum sibi appropriet seu propria faciat humana. Rationem addit, quia quæcunque carnis sunt, ea etiam Verbi sunt, cujus nimirũ caro propria est. Deinde dicit, quòd Verbum sua propria carni attribuat. Si quæras quomodo id fiat, num per realem cõmunicationem, translationem & transfusionem proprietatum unius naturæ in aliam? Respondet Damascenus, quòd id fiat κατὰ τὸν τῆς ἀντιδόσεως τρόπον, hoc est, secundùm vel per modum prędicationis reciprocę, κατ' ἀλλοίωσιν seu ἐπίζευξιν ὀνομάτων, quam κοινωνίαν ἰδιωμάτων,

communicationem idiomatum usitatè appellamus. Si quæras, quamobrem illa οἰκείωσις & μεταδίδωσις fiat? respondet Damascenus, διὰ τὴν εἰς ἄλληλα τῶν μερῶν περιχώρησιν, hoc est, propter mutuum partium seu naturarum Christi complexum. περιχώρησις enim naturarum Christi est arctissima illa conjunctio earum in unitate personæ: sicut περιχώρησις personarum S.S. Triados est arctissima illa conjunctio trium personarum in una & eadem numero essentia, quæ est in illis tribus personis, adeò ut ubicunque personarum una est, ibidem quoq; adsit persona altera: & propter hanc conjunctionem fit, ut Pater sit in Filio, & Filius in Patre, & Pater Filiusq; in Spiritu Sancto & vicissim. Differt autem περιχώρησις personarum Sanctæ Trinitatis à περιχωρήσει duarum naturarum Christi in eo, quòd περιχώρησις personarum S. S. Triados est propter unitatem essentiæ: περιχώρησις autem naturarũ Christi, propter unitatem personæ. Unde liquet, περιχώρησιν naturarum Christi idem esse quod καθ' ὑπόστασιν ἕνωσιν, ut sese mox Damascenus ipse explicat. Unde & hoc liquet, graviter errare eos qui περιχώρησιν constituunt modum realis communicationis idiomatũ, quo nimirum modo proprietates essentiales Deitatis sint reali transfusione communicatæ carni Christi, cui tamen non inhæreant formaliter, neque substantialiter neque accidentaliter seu subjectivè. Præterea & hoc inde liquet,

περιχώρησις naturarum Christi quid sit?

περιχώρησις personarum S.S. Trinitatis quid sit?

de liquet, differre περιχώρησιν à τρόπῳ αὐτιδόσεως.

Si exempla οἰκειώσεως illius κατὰ τὸν αὐτιδόσεως τρόπον requiras, profert Damascenus istud: *Dominus gloriæ crucifixus* dicitur, quamvis natura ejus divina non sit passa. Ergo patiente carne, non est passa Deitas, seu quod idem est, Christus patiens & moriens secundùm carnem, non passus & mortuus est secundùm Deitatem: Passionem & mortem non sensit, nec realiter participavit Deitas. Et ut verbis utar Fulgentii ex lib. 3. ad Thrasimundũ Regem: *Hoc personæ inseparabilis unitas, in qua Deus & homo unus est Christus, fecit, ut & homo Christus per gratiam nasceretur ex Deo, salva veritate ac plenitudine humanæ naturæ, & idem Deus Christus voluntariè pateretur in carne, salva impassibili plenitudine divinæ substantiæ.* Et mox addit: *Hæc dum quidam minùs attendunt, divinitatem Christi non dubitant subjicere passioni, & audientes Christum in carne passum, putant, Deum carni fuisse cõpassum, minùs attendentes, divinam illam atq; immutabilem Filii Dei substantiam, & in carne passibili passionem suscepisse, & cum carne passionem sentire non potuisse.* Satis de altero capite, secũdùm quam naturã Christus passus & mortuus sit.

TERTIUM caput est, quæ sint passionis & mortis ejus causæ efficientes. In hac Prophetia duæ indicantur, una est ipsemet Filius Dei; altera est serpens ille antiquus. Nam ęternus Dei Filius ipse posuit inimicitiam inter se & serpentem, & sponsorem se ultrò cõstituit *Lect. 4. die 30. Martii.*

apud Patrem pro nobis, promittens se loco nostro perpessurum contritionem calcanei sui, hoc est, passionem & mortem secundùm humanam naturam suam. Huc pertinent loca Psal. 40. v. 8. & 9. *Tum dixi, ecce venio, in volumine Legis scriptum est de me: Facere voluntatem tuam Deus mi delector.* Jesa. 53. v. 10. *Exponebat seipse sacrificium pro reatu.* Matth. 20. v. 28. *Sicut Filius hominis non venit ut ipsi ministraretur, sed ut ipse ministraret & daret animam suam redemtionis pretium pro multis.* Johan. 10. v. 17. & 18. *Propterea Pater me diligit, quia ego depono animã meã, ut eam rursus assumam. Nemo tollit eam à me, sed ego depono eam per meipsum.* Ad id impulsus fuit Christus amore nostri, ut hæc testimonia ostendunt. Gal. 2. v. 20. *In fide vivo Filii Dei qui dilexit me & tradidit semetipsum pro me.* Ephes. 5. v. 2. *Christus dilexit nos & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis.* & v. 25. *Christus dilexit Ecclesiã & semetipsum exposuit pro ea.* Apol. 1. v. 5. *Et à Jesu christo, qui est fidus ille testis, primogenitus ille ex mortuis ac Princeps Regum terræ: qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis nostris per sanguinem suum.*

Serpens verò ille antiquus, hoc est, satanas est altera causa passionis & mortis Christi hoc loco indicata. Dicit enim æternus Dei Filius: *& tu cõteres ipsi calcaneum.* q. d. tu persequeris Christum, per Judæos, Judam Ischarioté, Herodem, Pontium Pilatum & alios hostes, & omnibus injuriis affectum cruci affiges & occi-

occides: quin etiá perſequêris eum in membris ejus. Chriſti enim paſsio & mors duplex eſt, una in ſua propria perſona, altera in mẽbris ſuis: utriuſq; cauſa efficiens eſt Satanas. De priore teſtantur hæc præterea Scripturæ teſtimonia Joh. 8. v. 41. & v. 44. Joh. 13. v. 2. & v. 27. Subſcribunt Patres Orthodoxi. Beatus IGNATIUS epiſtolâ ad Philippẽſes ait: *Princeps mundi hujus gaudet cùm quis crucem negarit: cognoſcit enim crucis confeſsionem ſuum eſſe ipſius exitium. Id enim trophæum eſt contra ipſius potentiam, quod ubi viderit, horret, & audiens timet, & antè quàm fabricaretur crux, ſtudebat ut fabricaretur: & operabatur in filiis inobedientiæ: operabatur in Juda, in Phariſæis, in Sadducæis, in ſenibus, in juvenibus, in ſacerdotibus. Cùm autem paranda eſſet crux, tumultuabatur: & pœnitentiam immiſit proditori & laqueum illi commonſtravit, & ſuſpendium quo ſtrangularetur edocuit: terrebat & mulierculã turbans eandem in ſomniis: & ut à crucifigendo ceſſarent, moliebatur, qui priùs omnem lapidem moverat, ut eadem crux pararetur.* Prolixè eandem cauſam explicat Athanaſius homilia in Paſſionem & crucẽ Domini, pag. ſeptingenteſ. nonageſ. ſecundâ & ſequentib. tomo primo, Editionis Cõmelinianæ; verba huc adſcribã: *Traditur igitur Servator, & traditus non exhorruit mortem, ſed potiùs ſe adverſus mortem, ablatis veſtibus expedivit, & perſecutus eſt fugientem colubrum. Non enim ita ſe habuit Dominus, ut morituros, ſed ut is, qui mortem ad occidendum perſequere-*

tur. Cæterùm hic infelix diabolus conspecto hoc in Pilato miraculo, judicemq; magis, quàm judicatum pavescere, animadversâq; Domini in exuendis vestibus fiducia, omnia sibi tentanda putavit vt cognosceret quòd priùs cognoscere non potuit, quum illum in monte tentaret, essétne Filius Dei, an non: tum enim cum pudore rejectus, observandum sibi persuadebat tempus mortis, certus omnino posse se per mortẽ, quâ omnes in servitutem redegerat, etiam hunc tentationibus subigere: scriptum est enim apud Lucam quod cùm consummasset Diabolus omnem tentationem, abscesserit ab eo ad tempus idoneum. Atqui hoc erat istud præsens tempus, in quo hostis ipse agnoscebat fore ut ab omnibus supplantaretur, si ab ista victoria excederet. Nullum enim illi aliud destituto omnibus supererat certamen. Ideo omnia satagebat, ut certa omnia agnosceret, & à conserendis manibus abstineret, si certò cognoscere posset quis esset: nimirum non experturus, quàm sibi res futura esset cùm homine inaccesso & divinis viribus prædito. Dominus igitur ridens illius vafriciem sciensq; eum non sui reverentiâ, sed ut homines in servitute retineret, istas insidias captionesq; facere, quò in omnes tyrannidẽ exerceret, in occulto habuit suam Deitatem, ne ille per forte meridiem vitato congressu illæsus abiret, sed contrà despicatim quasi cum homine manus conserturus, ad pugnam veniret, & ab hominibus inciperet supplantari. Non aliter quàm si quis animaduersa in comparе atq; æmulo suo formidine secum decertandi, imbecillem se fingat, quò illum pelliciat ad pugnam: & ille dum pro vera habet illam simulatam imbecillitatem,

audac

audaciter in certamen prodeat, mox domandus illius generosi athletæ viribus. Ita quoq; Dominus sub specie humanæ infirmitatis provocans adversarium, hominem quem induerat, suis viribus adversus inimicum corroboravit. Atq; ideo sub tempus mortis anxius esse, & mœrere cœpit & obsecrabat calicẽ transire, clamabat spiritum quidem promtum esse, carnem autem infirmam, ut adversarius noster cum eo quasi cum homine congressurus vires ejus divinas experiretur. Atq; ita inductus ludificatusq; adortus est Dominum: & nunc quidem cùm animadverteret ejus fortitudinem, animo fiduciâq; contractiore fuit: nunc autem cùm videret imbecillitatẽ corporis, audaciam resumsit. Ac jam deinde cernere erat diabolum quidem cum omni exercitu, principatibus ac potestatibus in fugam se dare: Dominus contrà humanis armis diabolicas legiones persequi, nec longum deinde intervallum, quum inimicum omnibus rebus suis spoliavit, quo tempore ille ita confusus pudefactusq; nihil non contra Dominum molitus est, dum & Judæos concitat ut conspirarent, Pilatum ut cõdemnaret, milites verò ut illuderent, ignarus ea omnia sibi noxia esse. Cæca enim malitia est & incircumspecta animi pravitas, vt quæ non intelligat, ipsam suas manus acuere veluti si quis serpentem manu apprehendat, ut alteri injiciat, quod fieri non potest, quin ipse priùs mordeatur: aut si quis ignem manu sumat, ut hostem lædat, interim non animadvertat seipsum comburi, Ita ipsa malitia contra sui usurpatores militat, eosq; qui ipsam tenent magis quàm illos, in quos noxam parant, consauciat: ita quoq; Pharao volens capere, ca-

ptus est: & exorsus persequi, persequutionem passus est: & necem moliens submersus est: ita & Goliath, quibus armis Davidem invadebat, detruncatus est, & spoliare destinans spoliatus est. Idem evenit infelici diabolo: siquidem invadere tentans invasus est, & concitans milites, ipse potius per illos carnifices cōcitabatur. Omnia siquidem contra seipsum agebat, qui etiam tum spoliabatur, quum ea victoria nondum hominibus innotescebat, quam ille licèt invitus, in lucem extulit ac promulgavit. Quum enim exueretur Dominus, eo ipso invisibiliter erigebatur de diabolo trophæum, & quo illud manifestum fieret, narratur à Johanne indutus fuisse purpurâ: à Matthæo verò & Marco chlamyde coccinea, coronamq; illi ex spinis super caput esse positam & calamum in manus datum: & ita quum eum produxissent, genubus flexis adorasse. Miraculum novum & incredibile & magnæ sine dubio victoriæ insigne: quem enim ut hominem condemnaverant, eum mortuum deinde, ut Deū adoraverunt: & quem adspernabantur ut vilem & contemptibilem, eum confitebantur Regem: cui tunicam & vestem detraxerant, eum purpurâ circumdederunt: & quem ignorantes contumeliis afficiebāt, eum Prophetam etiam nolentes appellaverunt: & quem per ludibrium subsannationemq; pulsabant, ei triumphalia addiderunt ornamenta, coccineam chlamydem, & coronam spineam & calamum. Nā tametsi ea quasi per contumeliam agebant, efficiebatur tamen inde, ut ab eo latenter spoliarentur. Quum enim sanguine terra per diabolum funestata, & multis undis cruoris esset imbuta, & ore aperto primum

receperat

receperat sanguinem justi Abel, ac deinde hominibus sanguinem sanguini superfundentibus, infusaque in eandem maledictionem mendacio, furto, adulterio, exsecrabilis reddita esset, dicente Domino. Et nunc maledicta terra, quæ os diduxit, ut reciperet sanguinem Abelis fratris tui, cuiq; etiam priùs ob prævaricationem Adæ, maledixerat Dominus, dicens: Maledicta terra in operibus tuis, in ærumnis inde victitabis per omnes dies vitæ tuæ, omniáq; sanguine redundarent & ubiq; spinæ ob exsecrationem nascerentur: & hoc chirographum nactus inimicus noster omnes invaderet, & tyrannidem in omnes, ut in subjectos sibi, exerceret: ea de causa, quum eum omnibus spoliasset Dominus, hoc genere vestimēti indutus ad mortem processit, ut ostenderet victoriam de morte non temerè, sed pro nostra salute partam esse. Gestabatq; in coccinea chlamyde speciem sanguinis, spinasq; in corona, chirographum in calamo, quo instrumēto jam olim nos diabolus æri suo, rationibusq; inscriptos habebat, ut unà cum morte etiam ista simul demoliretur, & rerum naturam ab istis malis purificaret, & pro spinis lignum vitæ largiretur utendum, & pro sanguine peccatorum, suo sanguine & terram & omnes emundaret, & pro maledictione jam in reliquum incolis terræ benediceret, idque his verbis: Beati mites, quoniam ipsi terram possidebunt. Ideo enim nostrum sanguinem gestans, suum omninò sanguinem in terram exhausit: unde factum est, ut in ea, pro spinis, bona & vita repullulascerent, ad quam oculos suos dirigens sanctus ille locutus est: credo visurum me bona Domini in terra viventium.

Alia quoque ratione spineam coronam gestare videri potest, nimirum ut solicitudines nostræ vitæ exsturparet. Injecit enim sceleſtus ille, quanquam nolens, sollicitudines nostras super Dominum, non animadvertens futurum esse, ut earum gestatione, Dominus omnes in securitatem assereret, quò & sementem Verbi à spinis depurgatam haberent, & in precibus mentem inconvulsam possiderent. Ipse enim in doloribus & curis erat, ut nos doloribus careremus. Atq; hinc rursum est quòd arundinem accepit, quum illi à Diabolo porrigeretur, ignaro, quòd contra seipsum gladium acueret. Dicitur enim arundo serpentibus lethalis esse, atq; inde potißimũ interfici. Quum igitur ipse Dominus Sabaoth (ut Jesaias dicit) fugientem draconem, & magnum illum serpentem diabolum persequi statuisset, tum ejus rei causâ id, quod illi exitiale erat, ab eis accepit, ut suis propriisq; rebus debiliore reddito diabolo, ita quæ Christi erant, homines fortiores redderentur. Quale quid David in Goliatho designavit, qui sumto adversarii gladio, eo ipso illius caput præcidit. Idem quoque Servator fecit sumens arundinem ab illis, ut nos non solùm liberaret à versutia serpentis, sed & illum serpentem tolleret & mortuum exhiberet. Ad eum igitur modum circumscriptus sceleratus ille, vidensq; se ab illis spoliari & excidere quibus adversum nos efferebatur, & se à terra proturbari, & terram à sanguine & spinis emundari, seq; amisisse chirographum & calamũ quo nos in sua cautione descripserat, rursum, non audenda audet, sed eo ipse se magis verberat. Quum enim audisset à Domino loquente malitiosus ille, spiritum

quidem

quidem promtum esse, sed carnem infirmam, credēsq; Verbum unà cum carne languēre & infirmari, nec carnem Verbi virtute corrobari, rursus nefaria moliri cœpit, carnificesq; irritavit contra Servatorem, circaq; spinas quas retinebat volvebatur prorsus cōtrario, quàm sperabat, eventu: eas enim tenendo amisit, quas putabat vbi vellet se resumere posse. Cæterùm illas non priùs resumere potuit, nisi vbi jam eas maledictione inibi sitâ liberasset Servator noster: quas quum ille gestasset, tum demum recepit serpens suas spinas & chlamydem, sed jam innoxias nobis, & ipsius tantummodo sceleris indices. Nunc enim diabolus in spinis veluti in stimulis contra nos calcitrat, deq; illo & coccinea chlamyde dicitur: Quemadmodū vestimentum sanguine mistum non est purum, ita neq; tu purus eris, quoniam terram meam perdidisti & populum meum trucidasti. Ideo etiam nunc irritans carnifices contra Servatorem, in spinas quasi in stimulos calcitravit, magisq; pungebatur quàm pungebat: resumta enim à Domino arundine, quum milites arundine Christum se pulsare existimarent, hallucinabantur, quippe qui diabolum ipsos irritantem verberabant. Et ut gentes illæ quæ adscenderunt contra Hierusalem, sese mutuo in valle Josaphath contrucidabant, & persequentes Israëlem, quum ad riparum margines processerant, in sese manus vertebant, seq; invicem capiebant: Ita nunc quoque illi qui persequebātur Dominum, semetipsos non sentientes verberabant, non Domino interim, sed sibi noxii. Ut enim si quis lapidem manu secare velit, lapidem quidem non scindit, sed manum vulnerat: eâdem ra-

tione contra Dominum agentes, utpote contra incorruptibilem, perniciem suam moliebantur, & immortali mortem intentantes, ipsi in mortem rapiebantur: & quod pessimum erat, à suis ipsius membris hoc malum illi infligebatur quod versutissimo illi ad summum vituperium cessit. Omnino enim, si à Domino vapulasset, gloriari poterat: nunc ab illis percuti, quos in servitutem redegerat, id omne dedecus probrumq; transcendit. Sed tamen non illorum verbera serpentem conficiebant: nihil enim tale poterant, iidem illi & homines & carnifices: sed ut dolori illi erat contumelia à Judæis illata, ita verberibus arundinis vi Christo impulsis consauciabatur. Ea specie simulationeq; usus serpentem in spinis comprehendit, quem, dum ut homo vapulat, à tortoribus verberari concessit, ut cùm vellet ille gloriari se Deum esse, aut jactare quòd Dominum tentando adortus esset, diverberatus à carnificibus, summum dedecus vituperiumq; referret. Evenerunt autem illi ea præter omnem exspectationem. Nam cùm vim suam exerceret, per eos qui contra Dominum conclamabant, non animadvertebat se loco illarum vociferationum, taciturnitatem è regione subinducere, exacerbansq; Pilatum, non intelligebat se pro timiditate, locum vicemq; fortitudini præparare, & incitans ut Dominus verberaretur, prorsus non sentiebat se frustrari, emergente per eam occasionem malorum tolerantiâ. In summa, debacchans, insaniensq; contra Servatorem, non videbat se virtutem contra malitiam obarmare. Omni enim malitiâ & nequitiâ gaudet inimicus, & quicquid pravum, id diabolo pro armis est: siquidem

quidem formido mortis, dum periculum arcere intendit, peccatum suadet. Hactenus Athanasius de antiquo illo colubro passionem & mortem Christo in propria ipsius persona inferenti. Quòd verò idem passionem inferat Christo in membris ipsius Christi, docet duodecimũ caput Apocalypseos, quod quia veluti commentarius est verborum quę interpretamur, totum adducam: *Visum est autem signum magnum in cælo,* hoc est, in Ecclesia cujus ortus est è cælo & cujus πολίτευμα est in cælo: *mulier amicta sole, sub cujus pedibus erat Luna, & in capite corona stellarum duodecim,* hoc est, Ecclesia induta Christo qui est Sol justitiæ, & cujus Ecclesiæ lux coram hominibus lucet, terrena & mutabilia omnia quæcunque sub Luna sunt parvipendit, quum coronam vitæ æternæ habeat & possideat, ut interpretatur Augustinus in enarratione Psalmi centesimi quadragesimi secundi, & Gregorius Magnus in Expositione Morali Jobi, libro trigesimo quarto, capite duodecimo. *Et prægnans clamabat parturiens & cruciabatur ut pareret,* hoc est, statim ab initio, cùm desideraret crescere, tanquam doloribus parturientis excruciata est persecutionem perpessa ab Herode, Summis sacerdotib. Jerosolymitanis & Pharisæis scribisque: quæ de re Matth. 2. *Et visum est aliud signum in cælo: nam ecce adfuit draco magnus rufus, habens capita septem & cornua decem,* hoc est, diabolus seu Satanas, ut explicatur hoc eodem

capite v.9. qui semper persecutionum adversus Ecclesiam primus autor & incendiarius fuit, pollens astutiâ multiplici perinde ac si septem capita haberet, & robore variorum populorum, non secus ac si decem cornua ad feriendum omnes & lędendum necandumq; haberet. *Cujus cauda trahebat tertiam partem stellarum cæli, quas abjecit in terram,* hoc est, cujus ministri nempe pseudoprophetæ & seductores tertiam partem præcipuorum hominum in Ecclesia visibili à veritate abduxerant & apostatas reddiderant. *Stetit autem is draco ante mulierem parituram, ut quum peperisset, filium ejus devoraret.* Ecclesia Dei similis est mulieri prægnanti, quæ Deo liberos parit, unde etiá mater appellatur: quos autem parit, filio comparantur, cui insidiatur draco infernalis, ut eum devoret. *Peperit autem filium masculum recturum omnes gentes virgâ ferreâ: & raptus est filius ejus ad Deum & thronum ejus,* hoc est, peperit per Mariam Christum secundùm humanitatem tanquam caput in quo Christiana Ecclesia originem habet. *Mulier verò fugit in solitudinem, ubi habet locum paratum à Deo,* hoc est, Ecclesia fugit in oppidum Pellam in solitudine situm, ubi habebat locum à Deo paratum, *ut illic alerent eam,* nempe Apostoli & successores ejus, diebus mille ducentis sexaginta.

Et factum est prælium in cælo, hoc est, in Ecclesia Dei quæ ortu cælestis est & πολίπυμα cæleste habet: *Michaël,* hoc est, non creatus aliquis

quis Angelus, sed æternus Filius Dei, Christus Jesus verus Michael ille, id est, qui est æqualis Deo, *& Angeli ejus*, hoc est, tum spiritus illi ministratorii qui ministerii causâ mittuntur ad electos homines, tum Apostoli & alii Doctores Ecclesiæ, qui & ipsi Angeli Christi vocantur Apocal. 1, & 2. & 3. cap. *præliati sunt cũ dracone*, prælio spirituali, *& draco pugnavit & Angeli ejus*, hoc est, non tantùm dæmones seu impuri spiritus, sed etiam omnes falsi doctores, hæretici & potẽtes hujus mundi qui draconi serviunt. *Sed non prævaluerunt, neq; locus eorum amplius inventus est in cælo*, hoc est, ejecti sunt, ita ut nusquam apparuerint in Ecclesia Dei. *Et projectus est draco ille magnus, serpens ille antiquus, qui vocatur diabolus & satanas qui seducit totum orbem terrarum, projectus, inquam, est in terram & Angeli ejus cum eo projecti sunt. Et audivi vocem magnam dicentem in cælo. Nunc facta est salus, & potentia, & regnum Dei nostri & potestas Christi ejus: quia dejectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat eos ante conspectum Dei nostri die ac nocte. Sed ipsi vicerunt eum per sanguinẽ Agni & per sermonem testimonii sui: & non dilexerunt animam suam usq; ad mortem*, id est, non dubitarunt eam periculis, imò morti ipsi exponere. *Propterea lætamini cæli & qui habitatis in eis. Væ incolis terræ & maris: nam descendit diabolus ad vos, iræ magnæ plenus, ut qui sciat, se paululum temporis habere. Quum igitur vidisset draco se projectum esse in terram, persequutus est mulierem*

quæ pepererat masculum. Sed datæ sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, ut volaret à conspectu serpentis in desertum, in locum suum, ubi aleretur per tempus & tempora & dimidium tẽporis, id est, Christianæ Ecclesiæ quæ Jerosolymis erat, cùm urbis & politiæ ultima destructio & παντελεθρία imminneret, Deus facultatem dedit in desertum fugiendi in oppidum Pellam, ubi tres annos cum dimidio conservata est. *Ejecit autem serpens ex ore suo post mulierem, aquam tanquam flumen*, hoc est, adduxit subitò Romanum exercitum, qui Christianos æquè ac rebelles Judæos deleviſſet, si Deus concesisset. *Sed succurrit terra mulieri, aperuitq; os suum & absorpsit flumen quod ejecerat draco ex ore suo. Iratus est igitur draco adversus mulierem*, id est, Ecclesiam quæ Jerosolymis evaserat in locum tutiorem: *& abiit ut gereret bellum cum reliquis ex ejus semine observantibus mandata Dei & habentibus testimoniũ Jesu Christi*, id est, cum fidelibus ex Gentibus à Deo vocatis, qui fuerũt velut filii Ecclesiæ Christianæ ex Judæis collectæ, quia ex Sione prodiit Euangelium & Apostoli primi Euangelii præcones ex Judæis orti, genuerunt Christo Ecclesias ex gentibus.

Lectio 5. die 31. Martii.

QUAESTIO hîc incidit: *Quum Satanas voluerit & procurarit idem, quod Deus voluit, nempe passionem & mortem Christi, an non Satanæ voluntas & procuratio bona fuerit?* RESP. Non fuit bona. Nam etiamsi Deus eundem actum passionis, crucifixionis & mortis Christi voluerit

luerit, quem & Satanas voluit procuravitq́; impellens Judæos ad interficiendum Christum, Judam ad prodendum, &c. tamen injustitiam & malitiam cum actu illo concurrentem & finem Satanæ Deus non voluit. Satanas voluit quidem id ipsum, quod Deus voluit, id est, eundem ipsum actum, sed non bene voluit, nec ut Deo parêret, aut nostram redemtionem & gloriam Dei procuraret. Voluntates igitur Dei & Satanę fuerunt ratione non quidem ipsius actus, sed malitię concurrentis & finis ab utroq; spectati dissimillimæ & contrariæ. Propterea Dei quidem volũtas bona atq; justa: Satanæ autem voluntas mala atq; injusta fuit. *Tantum interest quid velle homini,* [ita dicere possumus, quid velle Satanæ] *quid Deo congruat, & ad quem finem suam quisque referat voluntatem, ut aut approbetur, aut improbetur:* ut loquitur Augustin. tomo tertio, in Enchiridio ad Laurentium, capite cẽtesimoprimo. Quod de volũtate Satanæ dictum, idem de Judæorum Christum persequentium voluntate statuendum. Etsi Judæi voluerunt id quod Deus voluit, nempe ut Christus moreretur; tamen non bene voluerunt, nec bono fine: Voluntas igitur illorum mala atq; injusta fuit. Scholastici Pontificii in hujus quæstionis decisione graviter errarunt. Petrus Lombardus, libro primo sententiarum, Distinct. quadragesf. octaua, cap. secundo sic ait; *Actum Judæorum non voluit Deus, passionem verò Christi*

voluit, sicut & in ipso Psal. 138. Christus ad Patrem ait, Tu cognovisti sessionem meam, id est, voluisti & approbasti passionem meam, tibi enim placuit Et capite quarto sic ait: *Quod Deus voluit, hoc idem Judæi & diabolus; sed illi malâ voluntate, Deus verò bona voluntate, scilicet ut Christus moreretur. Veruntamen illi actum voluerunt, quem Deus non voluit.* Verùm quòd Deus actum seu actionem Judęorum non voluerit, adversatur Scripturæ Sacræ dicenti apertè Actor. 4. v. 27, 28. *Coacti sunt enim in hac civitate verè adversus sanctũ Filium tuum Jesum, quem unxisti, Herodes & Pontius Pilatus cum Gentibus & populis Israëlis, ut facerent quæcunque manus tua & consilium tuum priùs definierat ut fierent.* Locus Psalmi 138. vel juxta supputationem Hebræam Psal. 139. v. 2. perperam à Lombardo explicatur. Non enim agit de passione Christi, sed de notitia Dei quâ is omnia nostra externa & interna perspecta atque cognita habet. Rectiùs autem P. Lombardo pronũciat Franciscus Suarez Jesuita Disputationum Metaphysicarum tomo primo, Disputatione vigesimâ secundâ, sectione prima, numero sexto, ubi ait veram sententiam esse: *Deum per se & immediatè agere in omni actione creaturæ, atq; huc influxum ejus simpliciter necessarium esse ut creatura aliquid efficiat.* Et numero septimo: *Dicimus tam esse certum, Deum influere immediatè ac per se in omnem actionem creaturæ, ut id negare erroneum sit in fide.* Et notum est omnibus illud Augustini

En-

Enchir. ad Laurent. cap. nonagesimo quinto. *Non fit aliquid nisi Omnipotens fieri velit, vel sinendo ut fiat, vel ipse faciendo.* Et capite centesimo. *Magna opera Domini exquisita in omnes voluntates ejus, ut miro & ineffabili modo non fiat præter ejus voluntatem, quod etiam contra ejus fit voluntatem: quia non fieret, si non sineret, nec utiq; nolens sinit, sed volens. Nec sineret bonus fieri malè, nisi Omnipotens etiam de malo facere posset bene.* Falsum est igitur, quod Lombardus ait, Deum noluisse actionem Judæorum & diaboli.

QUAESTIO altera: *Cùm dicitur Deũ voluisse, ut Christus pateretur & occideretur, quomodo intelligendum sit?* Respondet P. Lombardus antè citata distinctione, capite tertio in hunc modum: *Cùm dicitur, volebat Deus Christum pati & occidi à Judæis; distinguendum est. Si enim intelligitur sic, volebat eum sustinere passionem sive crucifixionem à Judæis illatam, verus est sensus. Si verò intelligitur sic, volebat ut Judæi occiderent eum, falsum est. Non enim volebat Deus actionem Judæorum, quæ mala erat, sed volebat passionem bonam.* Hactenus distinctio P. Lombardi: at illa scripturis sacris repugnat, quæ docent, Deum non tantùm voluisse tolerantiam passionis quam sustinuit Christus, verùm etiam actionem Judæorum, non quidem quatenus mala erat, sed quatenus actio erat, quum omnis actio, quatenus actio sit bona. Nos verò respondemus etiam per distinctionẽ, sed aliam

& Scripturis consentaneam. Cùm dicitur, Deum voluisse ut pateretur & occideretur Christus à Judæis, si intelligatur de voluntate efficiente & approbante & de vitio actionis Judæorum, falsum est: Deus enim voluntate efficiente & approbante vitium actionis non voluit, licet actionem ipsam voluerit: Sin autem intelligatur de voluntate efficiente actionem, quatenus est actio, & permittente certo consilio vitium actionis, verum est; sicut etiam verum est, cùm intelligitur de tolerantia quâ passionem & mortem Christus sustinuit. Sed hæc de tertio Capite sufficiant.

QUARTUM CAPUT est; *Quomodo Christus passus & mortuus sit, utrum opinione & imaginariè, an verè? cum dolore ne, an sine dolore?* Jam inde à temporibus Apostolorum fuerunt hæretici, qui prædicarunt, Christum non ἀληθῶς, sed δοκήσει καὶ φαντασίᾳ passum & mortuum esse. Hæreseως istius autorem Augustinus facit Cerdonem, eandem secutus est Marcion, quẽ Polycarpus primogenitum Satanæ appellavit; eandem amplexi sunt Manichæi. Eadem profectò sequitur etiam ex doctrina Ubiquitariorum: nam si Christus corpore suo inde ab incarnatione ubiq; fuit; tum nequaquam verè passus & mortuus est, sed tantùm imaginariè seu opinione. Refutat illam prædictio Paradisiaca: nam quia Christo Semini illi mulieris serpens ille antiquus calcaneum contriturus erat; Christus igitur non opinione & imagi-

imaginariè, sed verè passus & mortuus est. Adversus hunc errorem præmuniit Beatus Ignatius Trallianos epistolâ ad eos scriptâ, in qua inter alia præclarè ait, ἀληθῶς καὶ δοκήσει ἐσταυρώθη ὁ ἀπέθανεν, βλεπόντων ἐπουρανίων καὶ ἐπιγείων καὶ καταχθονίων, hoc est, *Verè & non opinione crucifixus & mortuus est, videntibus cœlestibus & terrenis & subterraneis.* Sed plura contra hæresim istam in eadem epistolâ paulò pòst subjicit. Eandem refutarunt Irenæus, Tertullianus in libris adversus Marcionem & alii patres.

At non tâtùm Cerdoniani, Marcionitæ & Manichæi in hac doctrinæ parte errarunt: verùm fuerunt etiam patres, pii alioquin & magni viri, qui etsi Marcionitarũ & Manichæorum errorem damnabant, & Christum verè humanum corpus habere docebant, etsi etiã contra Apollinarem & Arianos affirmabant, Christum verè humanam animam habere atque mentem, eoq; veram & perfectam naturam humanam assumsisse: tamen asserere non dubitarunt, Christum multa accepisse vulnera, percussum, flagellatum, clavis cruci affixũ fuisse, sanguinem fudisse, mortuũ esse animâ à corpore separatâ; sed nullum unquam dolorem verè sensisse: & corpus quidem habuisse ad patiendum, sed naturam non habuisse ad dolendum. Sic enim loquitur Hilarius Pictavorum Episcopus libro decimo de Trinitate, paginâ centesimâ nonagesimâ septimâ & sequentibus Editionis Frobenianæ Anni

1535. Et quidam Græcus scripsit, corpus Christi etiam ante mortẽ & resurrectionem fuisse. ἀνεπίδεκτον φυσικῶν καὶ ἀδιαβλήτων παθῶν, hoc est, *incapacem naturalium & quæ sine crimine sunt passionum.* Moti sunt autem patres illi ut hoc assererent eo, quòd plenitudo Deitatis habitet in Christo corporaliter: item quia licèt sumserit formam servi, non dimiserit tamen formam Dei. Sed hunc manifestissimum errorem prædictio Paradisiaca refellit. Nam quia ille serpens antiquus calcaneum Seminis mulieris contriturus erat, tum profectò Christus non sine dolore passus & mortuus est. Quò pertinet quod Jesa. dicit cap. 53. *Christum doloribus esse affectum, dolores nostros bajulasse, dolore affectũ propter defectiones nostras.* Deinde si passio & mors Christi sine doloris sensu fuissent, Christus pœnam loco nostro nõ sustinuisset. Nam qui dolorem nullum sentit aut corpore aut animo, is neq; intelligit se puniri, neque omnino pœnam patitur, nisi admodum impropriè. Qui intelligit, se esse in pœna, non potest non dolere: si se puniri nescit, non ea pœna putanda est. Certè nihil gravius atque acerbius cogitari potest, quàm à Deo desertum esse: atqui de sui desertione Christus magno clamore querebatur. Passio igitur & mors ejus sine sensu doloris animi & corporis non fuit. Quod verò ad verba attinet Pauli dicentis, *quòd plenitudo Deitatis habitet in Christo corporaliter*, ex iis nequaquã sequitur Christum

ſtum abſq; dolore paſſum & mortuum; nam ſenſus eorum eſt quòd plenitudo Deitatis in Chriſti corpore, tanquam in proprio templo habitet, quod ideo aſſumſit, ut in eo pati & mori poſſet Verbo quieſcēte & vim ſuam ad repellendam mortem & paſsionem non exſerente. Similiter forma Dei non impedivit obedientiam formæ ſervi in exſolvendâ loco noſtro pœnâ.

Usus

Si Chriſtus non opinione, ſed verè; nec ſine dolore, ſed cum ineffabili animæ & corporis dolore paſſus & mortuus eſt: tum ſequitur ipſum verè & plenè pœnam quæ à nobis ferēda erat, exſolviſſe & nos ab ea liberaſſe. Profectò nec verè, nec plenè pœnam loco noſtro luiſſet, ſi dolorem ſenſiſſet nullum. Jam quia dolorem ſenſiſſe inenarrabilem magnitudine & multitudine certū eſt: eſt cur certò confidamus, juſtitiæ Dei ſufficienter ſatisfactum & fidem ſpemq; noſtram non opinione niti, nec vanam eſſe, ſed certam; nos à cruciatibus infernalibus immunes eſſe: noſtros dolores quos in morbis vel perſecutionibus Chriſti causâ ferimus, ſanctificatos, minimeq; nobis noxios eſſe, ac proinde patienter tolerandos.

QUINTUM CAPUT eſt, qui effectus & fructus ſit paſsionis & mortis Chriſti? Is eſt contritio capitis ſerpentis: effectus profectò generi humano ſummè neceſſarius & utilis, fructus deſideratiſsimus. Eum ſic explicat A-

postolus Paulus Hebr. 2. v. 11. *Quoniam igitur pueri participes sunt carnis & sanguinis, ipse quoq; consimiliter particeps factus est eorundē, ut per mortem aboleret eum, qui mortis imperium habet, hoc est, diabolum.*

Fructus istius multiplex est usus.

Primò enim confirmat, Christum verè esse Regem nostrum, qui suâ nos potentiâ ab imperio diaboli asseruit; esse heroicum illum & potentem bellatorem qui fortem illum, aulam suam & ea quæ possidet defendentem, invasit, vicit, vinxit, totam armaturâ ejus abstulit quâ confidebat & spolia ejus distribuit, de quo Luc. 11. v. 21. & 22. Confirmat Christum Regem & Dominum, esse potentiorem diabolo, siquidem conterere caput serpenti illi antiquo non potuisset, nisi illo potentior esset: ac proinde etiam potentiorem esse aliis hostibus suis & Ecclesiæ, sic ut nemo tam fortis sit qui possit ipsi obsistere. Confirmat victoriam quam Christus de Satana obtinuit esse perfectam, à Christo penitus diabolum debellatum, potentiam & tyrannidem ejus prorsus fractam. Nam cui caput contritum est, ei profectò omnis potentia ademta est: At serpenti illi antiquo caput contritum est: Illi igitur potentia omnis ademta est. Operepretium est naturam capitis serpentini considerare. Serpentes in dentib. & capite venenum gerunt: unde morsu suo homines necant, sæpè etiam solo visu quemadmodū basiliscus: dissecti,

dissecti, sed illæso capite, iterum coalescunt: capite verò contrito & cõminuto, planè intereunt. Hæc causa est, cur Semen illud mulieris dicatur serpenti illi antiquo caput contrivisse, ut penitus debellatum sciremus.

Secundò confutantur hinc, quicunque debellationem Satanæ sibi aliisve rebus extra Christum vel minima ex parte tribuũt, quasi Christus solus ei caput non contrivisset, aut conterere non potuisset. Papistæ contritionem capitis serpẽtis tribuunt Virgini Mariæ; ideo vertunt hunc locum, IPSA *tibi conteret caput*: Sed vitiosam istam vrsionem alibi refutavimus.

Confutatur hinc fœdissima hæresis Ophitarum, qui etiam Ophei & Ophiomorphi dicti sunt, de quibus Augustinus libro de hæresibus ad QuodvultDeum, capite decimoseptimo scribit, quòd colubrum illum qui Adamum & Evam decepit, Christum esse arbitrati sint: ideoq; coluerunt & adorarunt serpẽtem, per quem Eva primùm decepta fuit, tanquam is fuerit Christus. Sapientiæ enim in homine autorem fuisse contenderunt: divinam illi non tantùm vim & potentiam, sed etiam essentiam & naturam tribuerunt, natum ex summo Deo, quem Jaldaboth vocabant & materia quadam. Et ad suam hæresim stabiliendam adducebant locum Num. 21. & Joh. 3. de serpente per Mosen in deserto exaltato, cujus adspectu à serpentibus icti sana-

bantur. Unde Christum ipsum serpentis formâ in uterum Mariæ subiisse volebant. Celebraturi Cœnam Dominicam incantationibus è spelunca evocabant serpentem, qui adscendens altare innixum speluncę panem Eucharisticum lambat, quasi eum serpens Christus sanctificaret. Horrendam istam & turpissimam hæresin locus quem tractamus prorsus evertit. Nam si semen illud mulieris quod est Christus, caput serpentis contrivit; tum serpens ille non est Christus. At priùs certissimum est. Ergo & posterius. Quòd verò Moses in deserto serpentem æneum erexit, eo non fuit indicatum Christum esse serpentem illum qui Adamum & Evam seduxit, sed signum tantùm fuit serpentum lethali morsu vulneratis, ut eum intuêtes sanarentur: & figura Christi in ligno suspendendi, & maledictionem nostram in se suscepturi, ut suam nobis benedictionem impartiretur. Sed progredior ad usum tertium.

Tertiò, quũ Christus passione & morte sua caput serpentis cõtriverit, atq; ita nos ab ejus tyrannide liberaverit; graviter peccât in Christum liberatorem nostrum, qui sub potestate Satanæ manere delectantur, quod faciunt ii qui peccatis sunt dediti, qnorum stipendium mors est, cujus imperium diabolus habet.

Quartò, excitat nos fructus passionis & mortis Christi ad gratias agendas Deo Patri pro illo. Deus nobis dedit victoriam per Christũ qui

qui caput serpentis contrivit: Deo igitur grâ tias agamus toto pectore. Huc pertinet illud Pauli 1. Cor. 15. v. 54. & seqq. *Absorpta est mors in victoriam Ubi tua, ô mors, victoria? Ubi tuus ô sepulchrũ, aculeus? Aculeus verò mortis est peccatum: vis autem peccati, Lex. Sed Deo sit gratia, qui dat nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum* & Coloss. 1. v. 12, 13. *Gratias agentes Patri, qui idoneos nos fecit ad participandam sortem sanctorum in luce: Qui inquam, eripuit nos ex potestate tenebrarum, ac transtulit in regnum Filij sui dilecti.* Excitat nos ad perpetuam erga Christum liberatorem nostrum gratitudinem, quæ continenter declarandâ est vitâ liberatis dignâ. Qui à tyrannide corporali liberati sunt, meritò operam omnem impendunt, ut liberatori suo placeant, & ea faciant quæ ipsi grata sunt, non autem quę tyranno qui ipsos antea oppresserat. Multò magis igitur nos qui à spirituali tyrannide diaboli erepti sumus, Christi Redemtoris nostri voluntati nos accommodare debemus, & nequaquam diaboli. Animosos præterea nos ad pugnandum adversus Satanam reddit certa spe victoriæ, quum caput serpentis jam sit à Christo contritum.

Quintò facit victoria quam Semen mulieris per passionem & mortem suam de serpente obtinuit ad consolationem nostram. Quum Semen mulieris Christus serpentis caput cõtriverit, gaudeamus debellatam esse hostis

nostri summi potentiam, ac confidamus nos victorię illius magis atq; magis participes futuros: Sicut Paulus ait Roman. 16. v. 20.

Deus pacis conteret Satanam sub pedes vestros citò.

Semini illi mulieris Christo Domino, contritori capitis serpentis, sit laus & gloria in omnem æternitatem,
Amen.

FINIS.


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777767856/phys_0150
DFG

rnem infirmam, credēsq;
nguêre & infirmari, nec
ari, rursus nefaria moli-
t contra Servatorem, ciro
lvebatur prorsus cōtra-
eas enim tenendo amisit,
sumere posse. Cæterùm
ut, nisi vbi jam eas ma-
t Servator noster: quas
num recepit serpens suas
m innoxias nobis, & ic
dices. Nunc enim dia-
ulis contra nos calcitrat,
e dicitur: Quemadmodū
ium non est purum, ita
terram meam perdidisti
i. Ideo etiam nunc irri-
orem, in spinas quasi in
pungebatur quàm pun-
no arundine, quum mili-
lsare existimarent, hal-
bolum ipsos irritantem
illæ quæ adscenderunt
utuo in valle Josaphath
ntes Israëlem, quum ad
nt, in sese manus vere
t: Ita nunc quoque illi
, semetipsos non sentien
interim, sed sibi noxii.
u secare velit, lapidem
m vulnerat: eâdem ra-

Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 011
Patch Reference numbers on UTT
the scale towards document
Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777767856/phys_0153
DFG